MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80050-5

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

BEER, RUDOLF

TITLE:

SPICILEGIUM JUVENALIANUM

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1885

Master Negative #

91-80050-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87J97
EB

Beer, Rudolf, 1863-1913. 1405835
Spicilegivm Ivvenalianvm, scripsit Rvdolphvs Beer... Lipsiae, in aedibvs B. G. Tevbneri, 1885.
82 p. facsim. 22½ cm.

Another copy. Bound with Völker, K.C.K. Juvenal.

no GC card

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/20/91 INITIALS F.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



87J97 EB

Columbia College
in the City of New York

Library.

COLUMBIA
COLLEGE
LIBRARY

SPICILEGIVM

IVVENALIANVM

SCRIPSIT

RVDOLPHVS BEER

ACCESSIT LIBRI PITHOEANI SIMVLACRVM

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCLXXXV.

COLUMBIA
COLLEGE
LIBRARY N.Y.

87 J97
EB

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

30 Dec. 96. C.H.

EMANVELI HOFFMANN

GVILELMO AB HARTEL

CAROLO SCHENKL

S.

APR 1896 Jock 57 627

219040

L. S.

Eduardus Woelfflin nuper in disputatione quadam[1]) de antiquarum litterarum studiis quomodo usque adhuc tractata quorsum recte dirigenda essent egregia verba fecit: inepte hodie quoque libros manu scriptos veterum scriptorum opera tenentes iterum iterumque protrahi pervestigari excuti, in lectionibus quae aut dudum cognitae erant aut ad textum constituendum nihil afferunt eruendis operam perdi, in sola crisi exercenda omnium fere vires et ingenia intendi; cum contra amplissimus ac paene inexhaustus studiorum campus a plurimis neglectus iaceret, veterum scriptorum verborum suppellex usus sermonis totius denique linguae latinae quasi vita hisce potissimum studiis cognita patefacta illustrata.

Quibus verbis qui fidem adiungerent quo plures fuerunt, eo magis credo non defuturos, qui hoc opusculum codicum Iuvenalianorum descriptionibus denuo institutis lectionibus litterulis vel adeo earum umbris scrupulose erutis refertum demirentur, idque eo fortius, cum quantum praestiterit Iahn in edendis Iuvenalis saturis[2]) quantoque clarissimi cuiusque grammatici plausu laudatus sit, iam ex una censura Hermanniana[3]) satis cognoscatur. neque ego hercle usque eo provectus sum arrogantiae vel superbiae, ut stulte spreta Iahnii Hermannique arte et ratione novas quasdam regulas emendationis Iuvenalianae me detegere et docere posse praedicarem; sed potius collectis et pervestigatis iis quae illi viri intellegentissimi de

---

1) *Ueber die Aufgaben der lateinischen Lexicographie*, *mus. Rhen. XXXVII 83 ss.* 2) Editio maior, Berol. 1851. 3) In '*Vindiciis Iuvenalianis*' ind. schol. Gott. a. 1854 p. 1 . . . . *gaudemus ea quae paucis abhinc annis ad illius poetae lectionem stabiliendam desiderari significavimus ita interim perfecta et absoluta esse ut vix inveniamus cuius scriptoris emendationem aut certioribus fundamentis fultam aut ad praeclarius culmen perductam esse fateamur.*

crisi Iuvenaliana constituerant in id unum fere me incubuisse libere fateor ut eorum disciplinae probabilis interpres viderer: praesertim cum rebus singulis sive certius sive plenius afferendis haud exiguum fructum ad illas rationes stabiliendas et ad verba poetae recensenda redundaturum viri docti nostrae aetatis iudicarint omnes.

Iam vero querellae semper ingratae ab exordio quidem operis nostri absint, apparatum autem criticum quo Iahn ante hos triginta annos saturas Iuvenalis instruxit, licet viris doctis illius temporis ab omni parte suffecerit, nequaquam ita comparatum esse ut hodie quoque probetur neminem qui versibus Iuvenalianis emendandis paululum accuratius vacaverit fugere potest. quam rem a multis variis modis decantatam[1]) hoc loco enucleatius retractare nolo; sufficiat monuisse, id quod unaquaque fere opusculi nostri pagella docebit, ex tot collationibus Iahnio ad usum suppeditatis ne unam quidem ita perfectam esse ut certum de singulis locis iudicium ferre possimus, deinde neque meliorum neque deteriorum codicum notitia nos adhuc satis instructos esse, tum quae de subsidiis criticis nuper detectis conscripta sunt sparsa iacere per annales ephemeridesque neque adhuc sub uno conspectu redacta commode in usum vocari posse, denique de textus historia, qua cognita nihil ad rationes emendationis constituendas erit utilius, nullam fere disquisitionem motam esse: ita ut hoc die etiam de omnibus quae ad textum quemlibet restituendum necessario requiruntur aut male edocti simus aut omnino incerti haereamus.

Quam miseriam neque uno impetu tolli neque medelis modo hac modo illa ex parte advectis persanari posse cum mihi persuasissem, totam materiam altius ut repeterem et fontibus ipsis aditis funditusque exhaustis idonea novae recensionis saturarum fundamenta denuo substruerem animum induxi. quo in negotio postquam trium annorum tempora subseciva consumpsi iam quidquid ad textum Iuvenalis recensendum alicuius momenti esse potest mihi praesto esse affirmare ausim. bybliothecas enim adii Helvetiae

1) Cf. Ruehl Philolog. XXX 676 sq. et 'Koenigsberger Wiss. Monatsblätter' a. 1879, 139 sqq.; A. Weidner in praef. ed. p. 26, J. Wirz Herm. XV 440, Stephan 'De Pithoeanis in Iuvenalem scholiis' p. 14.

quidem paene omnes, plurimas Germaniae, in Gallia Parisinam; denique Vindobonae in urbe fere patria me congessisse quae omnino ad provinciam nostram facere videbantur reticere nolo. quo factum est ut non solum apparatum criticum fere totum[1]) quali Iahn usus est denuo conquirere et examinare sed etiam ut nova auxilia nuper detecta strenue excutere potuerim; neque parum valere in hac re omnium codicum *αὐτοψίαν* non uno loco infra cognitum iri puto. imprimis autem id egi ut de libro Pithoeano, crisis Iuvenalianae duce, quam plenissime testarer et lectionibus singulis diligenter excussis et totius codicis accurata descriptione communicata; in qua re multis me gratum facturum speravi addita tabula arte photolithographica expressa delineante folium libri 13 versum, quo adminiculo et ipse de eius habitu externo manuumque aetate condicione erroribus facilius disputarem et aliis de eadem re cognoscere volentibus firmius et solidius substruerem iudicii fundamentum.

Opusculum vero propositum tripartitum esse ut iuberem ipsa materia exigebat. atque in prima quidem parte codices melioris notae colligere accurate describere subsidiorumque aliorum farraginem unde peti posset illustrare studui; in altera textus historiam indagare rivulos singulos memoriae detegere codicumque rationes in universum quoad adhuc cognoscere mihi contigit exponere conatus sum. fundamento ita subiecto tertiam partem commentarioli critici vicibus fungi volui in quo specimina lectionum congererem quae aut non recte hucusque exscripta aut omnino nondum cognita erant. atque haec potissimum tria capita ad crisin Iuvenalianam spectantia ante omnia tractanda et expedienda esse putavi si quidem rite editionem praeparare et instituere vellemus: non quod arbitrarer rem vel aliqua ex parte a me ad finem perductam vel absolutam esse, id quod nunc quidem quae est artis cri-

1) Nondum vero excussi codicem bybliothecae Vaticanae Urb. 661 et codicem bybliothecae Laurentianae plut. XXXIV 42. etiam libros Parisinos quominus penitus pervestigarem temporum angustiae quibus Parisiis premebar impediebant, neque tamen vel ex accurata horum librorum perscrutatione hanc disputationem multum profecturam fuisse putaverim, cf. quae infra exponam p. 36 ss.

ticae in saturis Iuvenalis factitandae condicio fieri nequit, sed quia non ab re esse duxi publicare ea quae diligenter quaerendo observando conferendo explorasse mihi visus sum. neque sane puto me omnibus satisfacturum cum mihi ipsi minime satisfecerim; sed iam in eo laboris pretium petam si me quaestiones propositas et recte suscepisse et pro virili parte promovisse iudicaveris: ut si viri me peritiores et doctiores rem incohatam denuo agressuri sint feliciorem eventum iure sperare possimus. —

Ceterum si omnino his quae iam fausto precor omine aggrediar aliquid praestiti, referri debet ad viros illos clarissimos quorum nomina opusculo praefixa leguntur quique inde ab illo tempore, quo ut eorum consuetudine fruerer doctrinaeque particeps fierem bona fortuna mihi concessit, pro sua quisque parte dictis consiliis factis me adiuverunt, imprimis autem in hoc opusculo conscribendo summa beneficia in me contulerunt. qua egregia disciplina digna num proferam nescio; sed more rituque solito has studiorum primitias licet haud pauca minus recte scripta iis inhaereant ad illos viros unice dilectos mittere ausus sum quos scio si quid bene mihi cesserit benevole accepturos, veniam daturos si quid deliquero. quae res utut se habet velitis viri amplissimi vobis offerri hoc summae reverentiae intimae gratiae impigerrimi amoris pignus unaque iuvenis vota, qui per totam vitam vestri vestrae indulgentiae dignitatis memoriam se non depositurum promittit spondetque.

I.

De codicis Pithoeani habitu externo.

Inter libros manu scriptos Iuvenalis saturas tenentes et auctoritate et ambitu principem locum obtinet codex Pithoeanus sive ut nunc nominari mavult Montepessulanus bybliothecae medicorum Montepessulanae (*école de médecine*) liber numero insignitus 125. descriptus est et in catalogo codicum, qui inveniuntur in bybliothecis publicis provinciarum Galliae (*Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements*) I 330 sq. et in *Chr. Stephani* libello '*De Pithoeanis in Iuvenalem scholiis*' *Bonnae 1882 p. 3 ss.*, sed neutro loco plene et absolute, ut quae est rei gravitas ab incepto non alienum duxerim de codicis pretiosissimi (aestate a. 1883 bis a me collati) externo habitu argumento historia enucleatius agere.

Cooperitur liber hodie validis membranis recentioris aetatis, quarum in antica versa signum bybliothecae *H No. 125* impressum legitur; item in tergo a manu bybliothecarii recentissimi *no. 17—125* exaratum est. volumen quidem ipsum hodie continet folia 84 formae paene quadratae 0,292 m. in longitudinem 0,268 m. in fronte patentia, quorum quattuor prima paginarum numeris non instructa a b c d nominare libet. a b c sunt folia chartacea saec. XV vel XVI ex quibus a c hoc fabricae signum (ut hodie fere chartis imprimitur pellucidum)

praebent. — quae vero ad antiquum integrum codicem pertinebant folia sunt membranacea d, 1—79, aequaliter divisa in decem quaterniones, quorum primus folia d, 1—7 (quaternionis numero non instructus), alter 8—15 cum signo II $\overline{Q}$, 3us 16—23 cum signo III $\overline{Q}$, 4us 24—31 c. s. IIII $\overline{Q}$, 5us 32—39 c. s. IIIII $\overline{Q}$, 6us 40—47 c. s. VI $\overline{Q}$, 7us 48—55 c. s. VII $\overline{Q}$, 8us 56—63 c. s.

VIII Q̄, 9us 64—71 c. s. VIIII (sic), 10us 72—79 c. s. X Q̄ complectitur. cuius partis antiquissimae folium primum d varias exhibet inscriptiones notasque, quarum nonnullis hic locum concedamus. atque in hoc folio recto legitur nomen *P P i l h o u̅* litteris longe productis idemque nomen in margine superiore paene erasum. plura vero scripta sunt in eodem folio verso, et primum quidem a manu saec. IX versus hi[1])

Ad boreae partes arcti vertuntur et anguis
Post has artofilax pariterq, corona genuq,
Prolapsus lyra avis cepheus et casiepia
Auriga et ꝑseus thelthon ꝗandron . . . . .[2]) *astrū*
Pegasus et delphin.

Subinde fortasse ab eadem manu exaratae sunt preces hae notis musicis instructae: *Vox exultationis et salutis et leta iucunditatis eternę iuventutis. In tabnaculis* (sic) *iustorum pax. Lux iucundaque* etqs. — *angelorum omnium viventem regnantem ut letet ꝑ* sO[3])*la* (saecula). denique a manu bybliothecarii in imo folio d[v] adnotatum est: *Il a été reconnu, que ce manuscrit était composé de quatre vingt feullets sur vélin Montpele* (sic) *le 19 Mart 1849.*

Etiam folii numero 1 instructi pagina antica scriptura manus illius quae versus Persii et Iuvenalis exaravit vacat; quo factum est ut simili modo quam in d[v] pagina variis nugis completa sit. legitur enim hic quoque idem carmen *Ad boreae partes* . . . bis, sed a manu saec. IX. altero loco etiam continuatum

Pegasus et delphin telūq, aquila angui tenusq,
Signifer inde subest, bis sex hunc sidera complent
[4])*Aries taurus gemini cancer leo virgo*
Libra . scorpio . arcitenens capricornus ꝗ urna
Qui tenet et pisces post sunt in partibus austri
Orion ꝓchion lefuis (sic) *ardens syrius argo*
Hydrus chiron turibulum quoq, piscis [*et ingens* a. m. s. X.
Insequitur[5]) /// /// /// /// *pistrix simul heridaniq, fluenta.*

quos versus excipit argumentum omnium saturarum a manu saec. XV infra adscriptum, quae atramento nigro niti-

1) Cf. Anthologiae latinae (ed. Riese) c. no. 679. 2) Hoc loco lacuna exstat. 3) Iterum lacuna. 4) Addidit altera manus saec. X. *hinc.* 5) Corr. a. m. s. X. *Hinc sequitur.*

doque excellit atque deinde ex saturis ipsis res memorabiles elegit et passim in margine enotavit: (cf. pag. 20 seq.); eadem manus in margine superiore nomina praefixit:

Persius
Iuvenalis et in altero angulo *mathias 1464*

cui notae alia manus saec. XV vel XVI, quae postea in codice non occurrit verba adiunxit *d. dyonysii festo.* iamiam omnes huius paginae notas exhauserimus allato numero

MDLXXIII

atque inscriptione, quae fortasse ab ipsius Pithoei manu profecta est (cf. pag. 21.)

Ex Libris *Collegii*
Oratorii *Trecensis*

cui subscripta est nominis cuiusdam nota, quam enucleare nequeo; certe, cum P et t litterae quasi in semet ipsas implicatae in ea facile cognoscantur nescio an recte ad Pithoeum referenda sit.

Sed iam folio 1[v] manus saeculi noni prologum, dein inde a fol. 2[r]—13[r] saturas Persii, inde a folio 13[v] usque ad fol. 79[v] versus Iuvenalis conscripsit.[1]) omnia huiusce partis folia accurato linearum schemate instructa sunt ita, ut unaquaque pagina media textus versus contineat 29, in sinistro dextroque margine spatium 5 cm. relictum schemaque linearum impressum sit scholiis adpingendis; etiam hae lineae aequaliter in utroque latere distant, sed multo magis confertae sunt, ut inde totus habitus litterarum multo subtilior factus sit (cf. pag. 13).

Quod linearum schema imitari studuit librarius ille, qui centum fere annis post duas vitas Iuvenalis[2]) glossis marginalibus et interlinearibus instructas in fine codicis adiecit. folium enim 80[m] in quo hae vitae leguntur est quod vocant singulare, postea demum decimo quaternioni adsutum nullaque ratione cum antiquissima parte libri (fol. d, 1—79[v]) et bona quae in ea legitur et versuum et scholiorum re-

1) Et de hac manu et de aliis quae in Persii atque Iuvenalis saturis versabantur accuratius disputabo pag. 16 sq. 2) Namque non solum prima vita, quae apud Iahn legitur (p. 386) sed etiam alia hoc loco adpicta est, quae cum tertia a Iahnio allata similitudine quadam continetur; differt autem locis his: vs. 1 *Aequinalis, de Aquino* (sic); vs. 4 *ferme;* vs. 5 *tacens ab indignatione coepit dicens Semper ego auditor tantum fecit . . . .;* vs. 6 *temporis* om. P; vs. 7 *ipsius;* vs. 8 *sic subobtentu, tandem — videret* om. P.

censione cohaerens; id quod cum ex diversitate scripturae (quae aperte saec. X redolet et sine dubio ab eodem librario, qui scholia deteriora [Cornutiana] in antiquum commentarium intrusit, profecta est) tum ex vitis ipsis cognoscitur, quas nusquam nisi in libris interpolatis inveni.[1]) ex hac observatione quid cum magna probabilitate concludi possit infra exponere studebimus (cf. p. 47 sq.); nunc tamen, ut codicis universam descriptionem absolvamus, nobis addendum est in tergo huius folii novissimi ut fit in pagellis scriptura vacantibus varias manus nugas suas exercuisse; inveniuntur plurimae 'probationes pennae' carmina ecclesiastica cum notis musicis alia similia. gravioris vero momenti videbantur haec: legitur bis nomen '*Laurisheim*' deinde, ut in fol. d *P. PITHEV* denique quod maxime memorabile est a manu saeculi decimi scriptum

Codex sc̄i Nazari Martiris XPI

Qui cupit hunc librū sibimet contendere p̄ṕum
Hic flegetonteas patiatur sulphure flammas

et infra hanc notam a manu Pithoei *Monasterii D. Nazarii Bergstrasse Wormacensium agri/ Laria/// utere/ m/// ubi Thassilo Baiuvarum dux 1576 Pithou.* denique in margine sinistro

1576
EVOAE.

iam haec res nos admonere videtur ut argumento codicis enarrato de singulis manibus, quae in eo conspiciuntur quarumque accuratam cognitionem summi momenti esse constat, non nulla exponamus.

De manu cod. P prima eiusque erroribus.

Qua in re disceptanda vel id difficultatibus intricatum est ut primae manus provinciam quanta sit accuratis finibus circumscribamus. etenim cum versus et Persii et Iuvenalis foliis 1—79, dico in parte libri antiquissima, ab una manu conscriptos esse inter viros doctos convenisset, de scholiis antiquis in utroque margine adspersis num ab eadem manu profecta sint necne ex iis qui librum inspexere alii aliter iudicaverunt. concedendum quidem huius scholiorum manus ductus multo tenuiores esse ideoque aliquantum discriminis inter hanc et

1) Exhibent vitam primam (praeter libros a Iahnio in usum vocatos) codices Vindobonensis no. 277, Monacensis no. 408, Bernensis 189, Parisinus lat. 11320, 9345, 8070, 4883 A; praeterea similem vitam Stuttgartiensis Poet. Q. 11, libri, ut mihi ipsi conferenti videre contigit, ad unum omnes interpolati.

versuum scripturam intercedere, quod imprimis iis locis conspicitur, quibus manus dum scholia scripsit in versibus ipsis aliquid correxit mutavitve.[1]) quo magis examinemus oportet condicionem huius manus ad quam ut scholia vetera et lemmata optimae recensionis, ita hae correcturae pertinent. atque accuratiore hac de re quaestione instituta[2]) mihi persuasi et versus et commentarios antiquos ab una eademque manu profectos esse, cum ductus atramentum totus denique habitus utriusque scripturae idem sit; quae vero inter utrumque litterarum characterem interesse videntur imprimis tenuior ductus litterarum, si librarium scholia adpingentem subtiliore penna usum esse constituerimus, facile explicantur. conscripsit igitur haec prima manus ut versus ita scholia antiqua, pauca quidem ad Persium (quae nunc bene digesta et cum variis lectionibus cod. Sang. instructa in Stephani libello leguntur p. 14 sq.), ampla in Iuvenalem praeter explicationes ad vs. II 86—92, quas paulo post alia manus addidit.

Qua manus primae provincia constituta adiungere et sub unum conspectum redigere placuit specimina quaedam errorum ab illo librario commissorum, quibus plene collectis et perpensis quantum emolumentum ad crisin factitandam redundet tertio disputationis nostrae capite perfacile intelligetur; duxitque me in hac quaestione instituenda Iahnii exemplar, qui praef. ed. mai. pp. CLXXXII—CXC erroribus ex libris optimis Persianis congestis felicissime eorum naturam illustravit.

Atque ex mendis, quae hic subiungere e re visum est[3]) primum proponam ea quae litteris male coniunctis vel distinctis continentur. cui generi inter alios adnumerandi sunt loci hi:

Pers. I 17	*sed elegens* recte *sede legens*	Pers. V 106	*quas uberato — tinnia tauro* r. *qua subaerato — tinniat auro*
„ I 113	*pueris acer* r. *pueri sacer*	„ V 150	*avidos sua dare* r. *avido sudore*
„ III 15	*hunc inererum* r. *hucine rerum*	Iuv. I 22	*me viatus cum* r. *Mevia Tuscum*
„ III 28	*ramum ille sime* r. *ramum millesime*		

1) Cf. infra p. 34. 2) Meletem. Vind. VI 300 ss. 3) Nonnulla errorum genera iam enumerata exemplisque illustrata sunt Melet. Vind. VI 301 sqq. quam lectionum farraginem nunc auxi et supplevi. sed hoc quoque loco ea tantum exempla respecta sunt quae in Iahnii apparatu non leguntur.

Iuv. I 27 *tyria sum erore vocante* r. *Tyrias umero revocante*
„ III 302 *quis polliet* r. *qui spoliet*
„ VI 64 *Tucclave sicae* r. *Tuccia vesicae*
„ VI 306 *Inunget* r. *i nunc et*
„ VI 320 *positas aut feta* r. *posita Saufeia*
„ VI 576 *revocat at hrasylli* r. *revocata Thrasylli*
Iuv. VII 93 *invidia sua . .* r. *invideas va . .*
„ VII 163 *ac annis* r. *a cannis*
„ VIII 145 *temporas antonico* r. *tempora Santonico*
„ X 144 *haesuris anxis* r. *haesuri saxis*
„ XV 22 *ei pinora* r. *Elpinora*
„ XV 112 *retor & hyle* r. *rhetore Thyle,*

quae menda sine dubio id quod nonnullis locis etiam schedarum Aroviensium consensus probat (VI 306, VII 93) ex scriptura continua codicis archetypi originem duxerunt eandemque causam aliorum errorum esse putaverim, quibus liber Pithoeanus scatet. huc enim referre debemus perpetuas fere mutationes litterarum *l, t, i*

Iuv. I 89 *ioculis* r. *loculis*
„ I 171 *legitur* r. *tegitur*
„ II 85 *monilla* r. *monilia*
„ III 20 *electis* r. *eiectis*
„ III 304 *catena est at luit* (sic) r. *catena siluit*
„ IV 7 *maius* r. *malus*
„ IV 95 *iam* r. *tam*
„ VI 40 *multorum* r. *mullorum*
Iuv. VII 180 *tumentia* r. *iumenta*
„ VIII 80 *ambigua est* r. *ambiguae si*
„ X 247 *fulta* r. *fuit a*
„ X 351 *ducit* r. *ducti*
„ XII 62 *tacuit* r. *iacuit*
„ XIII 191 *vitio* r. *ultio*
„ XV 65 *alax* r. *Aiax*
„ XV 138 *advitae* r. *adultae.*

nec non litterarum *c* et *g*

Iuv. I 28 *dicitis* r. *digitis*
„ II 124 *secmenta* r. *segmenta*
„ III 168 *necabis* r. *negabis*
„ III 199 *Ucalecon* r. *Ucalegon*
„ III 319 *refigi* r. *refici*
„ V 112 *genes* r. *cenes*
Iuv. VI 147 *emunceris* r. *emungeris*
„ VI 159 *reces* r. *reges*
„ VI 306 *Inunget* r. *I nunc et*
„ X 193 *cenas* r. *genas*
„ XIV 31 *signatura* r. *sic natura.*

mirae quoque confusionis mentio fiat quam etiam a libris Persianis Mp. et Rom. non alienam fuisse Iahn nos edocuit (proll. p. CLXXXIV) dico formas alterius et tertiae personae in verbis saepissime inter se commutatas, cuius generis exempla afferam haec:

Iuv. I 155 *lucebit* r. *lucebis*
„ I 157 *deducit* r. *deducis*
„ VI 354 *cui des* r. *cui det*
Iuv. VII 197 *fiet .* r. *fies .*
„ VIII 122 *tollat* r. *tollas*
„ XI 24 *scis* r. *scit.*

ad hanc confusionem litterarum *s* et *t* accedunt loci VI 510 *coniungit* r. *coniugis* et XI 86 *consulit* r. *consulis.*

Adde quod voculae *nil* et *nihil* hic illic confusae leguntur velut

Pers. I 122 *tam nihil nulla* r. *tam nil nulla*
Iuv. I 147 *nihil erit ulterius* r. *nil erit ulterius*
„ III 51 *putat nihil conferet* r. *nil conferet.*
contra dubium esse potest anne recte cum Pithoeano
Iuv. VII 54 *qui nil expositum* scribendum sit.

Plurimis vero locis librarius peccavit eo, quod sono et memoria antecedentium et insequentium verborum lapsus ea ipsa quae modo scripturus erat vocabula, imprimis earum syllabas novissimas male descripsit. cuius vitii insignia exempla sunt haec:

Pers. IV 25 *quaesieris 'Nostin Vettidis'* recte *Vettidi*
„ V 23 *Cornutae animae . . amicae* r. *Cornute amice*
Iuv. I 25 *gravis iuvenis* r. *gravis iuveni*
„ I 63 *non me libet medio* r. *nonne*
„ I 149 *stetis utere relis* r. *stetit*
„ III 14 *aquis viridis* r. *viridi*
„ III 69 *hic amycdone relicta* r. *Amidone*
„ III 171 sq. *in quam nemo togam* r. *in qua*
„ III 226 sq. *brevis nec retse movendis in tenuis* r. *movendus*
„ V 75 *impleri planis* r. *panis*
„ VI 219 sq. *servis supplicium quis* r. *servus*
„ VI 354 *mandata puella* r. *puellam*
„ VII 37 *relicta ipsa* r. *ipse*
„ VII 234 *anchisae patriaeque novercae* r. *patriamque*
„ VIII 16 *attritus Catinensi pumice lumbus* r. *lumbum*
„ VIII 259 *ancilla natus trabea et diadema* r. *trabeam*
„ X 266 *eversam et flammis Asiam* r. *eversa*
„ XI 28 *memori tractandum pectori* r. *pectore*
„ XI 41 *gravis et pecoris* r. *pecorum*
„ XI 63 *alter aquis alter flammis ad sidera missis* r. *missus.*
„ XI 68 *quis plus lactis* r. *qui*
„ XI 85 *quam dabat hostia carnem* r. *carne*
„ XIII 41 *Iudaeis iupiter* r. *Idaeis*
„ XIV 40 *ex nobis genitis* r. *geniti*
„ XV 174 *homini et ventri* r. *homine.*

Plane ad soni confusionem pertinent mutationes litterarum *b* et *v*, *e* et *ae*, *d* et *t* a librario commissae. quae cum in aliis quoque libris saepissime vulgentur sufficiat enumerasse selecta exempla haec:

Pers. II 26 *Ergennaque iuvente* r. *iubente*
„ IV 49 *vivice flagellas* r. *vibice*
„ IV 50 *vibulas aures* r. *bibulas*
„ V 112 *salibam* r. *salivam*
Iuv. II 102 *nobis annalibus* r. *novis*
„ IV 111 *servavat* r. *servabat*
„ V 118 *have* r. *habe*
„ VI 8 *turpabit* r. *turpavit*

Iuv. VIII 80 *citavere* r. *citabere*
„ XIII 155 *bobis* r. *bovis*
„ XIV 18 *acervo* r. *acerbo*
„ XIV 59 *cessavit* r. *cessabit*

Pers. III 21 *malignae* r. *maligne*
„ V 11 *folle praemis* r. *premis*
„ V 17 *traheque* r. *trahe quae*
„ V 42 *aepulis* r. *epulis*
Iuv. I 40 *Proculaeius* r. *Proculeius*
„ I 159 *despiciaet nos* r. *despiciet nos*

Pers. II 55 *illut subiit* r. *illud*
„ II 68 *ad vos* r. *at vos*
„ III 60 *aliquit* r. *aliquid*
„ VI 16 *ob it* corr. fort. pr. m. *id*
Iuv. I 90 *at casum* r. *ad casum*

Iuv. XIV 230 *havenas* r. *habenas*
„ XV 126 *sevit ravie* r. *rabie*
„ XV 163 *ravida* r. *rabida*
„ XVI 53 *lavare* r. *labore.*

Iuv. II 10 *cinedos* r. *cinaedos*
„ II 24 *quaerentes* r. *querentes*
„ VI 579 *inspecta gaenesi* r. *genesi*
„ VI 626 *partus aeque* r. *equae*, sim.

Iuv. II 115 *quit tamen* r. *quid tamen*
„ VI 395 *aput vos* r. *apud*
„ VI 416 *inquid* r. *inquit*
„ VI 622 *capud* r. *caput*
„ VIII 181 *ad vos* r. *at vos*
„ XIV 68 *illut* r. *illud.*

Ex hac errorum farragine collecta recteque perpensa quid ad auctoritatem libri P ponderandam redundet facile perspicitur. nam cum consulto ea tantum menda hic congesserim quae nondum nota erant, apparet optimum quoque crisis Iuvenalianae testem multo pluribus locis errores exhibere quam ex apparatu Iahniano concluseris; verum hi errores non inhaerent *recensioni* sed *librariis*, quorum indole perspecta menda scripturae haud ita difficili negotio *a vestigiis bonae recensionis* collatione iterata erutis secernas, quae ipsa in capite tertio collecta et enarrata leguntur: itaque rebus vel sic comparatis nullo pacto labefactatur vel imminuitur libri pretiosissimi Pithoeani auctoritas.

De libri P manu altera.

Sed illa menda, quorum genera modo enumeravimus quorumque unaquaeque libri pagella luculenta exempla praebet, centum fere annis post emendanda sibi sumpsit altera manus a qua vitas Iuvenalis in folio ultimo profectas esse supra diximus. sed hoc officium cum librarius ille in saturis Iuvenalianis exerceret, non exemplari recensionis integrae sed libro 'emendato' usus est[1]); quo factum est, ut non solum id, quod for-

1) Id quod hac quoque re probatur, quod eadem manus etiam scholia nonnulla Cornutiana antiquis scholiis admiscuit cf. Stephani libellum s. s. p. 6ss. et infra p. 22.

san ferri possit, errores librariis fere familiares emendarentur, sed etiam prorsus novae lectiones verba versiculi inculcarentur adderentur. atque corrector ille tam strenue diligenterque munere suo functus est, ut hodie haud paucis locis ductus primae manus plane erasos dispicere, aliis quid a prima quid ab altera manu profectum sit discernere nequeas. quibus rebus etsi nunc quidem libri conferendi negotium impeditissimum reddatur, tamen plurimi loci restant quibus in collatione Iahnio ad usum suppeditata signum desperationis asteriscus legitur, oculorum vero acie intenta modo primo obtutu modo variis solis luminibus adhibitis, quid primae quid alteri manui debeatur cognosci potest; atque hi potissimum loci erant de quibus ut quam plenissime et accuratissime testarer praecipua mea in libro conferendo versabatur cura.[1])

De manu altera, quae saturas Persii correxit.

Eodem fere tempore etiam saturis Persii 'emendandis' manus quaedam vacavit (neque tamen ea est, quae in Iuvenalis saturis tristi suo munere fungebatur) atque licet non tanto opere in Persium saevierit quanto illa in Iuvenalem vel in hac parte libri primae et alterius manus scripturae difficillime distinguuntur. correxit autem haec altera manus saturas Persii secundum exemplar quoddam alterius recensionis, ad quam libri Montepessulanus 212 et Vaticanus 306 H pertinent. quod cum ex notis Iahnianis novissimae editioni adspersis non patefiat,

1) Iahnium quidem ipsum haud magnam nonnullis locis suae collationis esse fidem fugere non potuit neque hanc suspicionem notis compluribus ad scholia potissimum pertinentibus celavit. accuratiora vero de collationis huius condicione summa liberalitate mecum communicavit Adolphus Michaelis vir doctissimus, quae si hic addidero forsan gratum me faciam legentibus. '*Dem Pithoeanus*' scribit litteris mihi datis a. d. III. Id. Dec. a. 1884 '*hatte er (Iahn) vielfach, aber stets vergebens nachgespürt, bis er im Januar 1845 von CBHase in Paris erfuhr, der Codex sei in Montpellier zum Vorschein gekommen, und gern auf dessen Vorschlag eingieng, ihn durch Hrn. Bertin vergleichen zu lassen. Er bat, dass Hr. Bertin grösserer Sicherheit wegen die Collation in eine Ausgabe eintragen möge, dies geschah aber nicht, sondern Hr. Bertin notierte die Varianten nach der Pithoeana von 1585 in einem Briefe. Trotz der ausdrücklichen Versicherung, dass die Vergleichung mit grösster Sorgfalt gemacht sei, sah sich doch Jahn sofort zu einigen Anfragen veranlasst, scheint sich schliesslich aber bei der Collation beruhigt zu haben, die durch eine andere zu ersetzen er auch weder die Mittel noch die Gelegenheit hatte. Ende 1848 begann er den Druck des Juvenal, dessen Texte ja ganz wesentlich die bertinsche Collation des Pithoeanus zu Grunde liegt . . .*'

ipsius etiam Michaelis exactae collationi non nulla sint addenda, iam hic quae ex libro Pithoeano in adversaria mea transtuli, exceptis iis quae iam supra pag. 13 ss. congessi, proferre e re esse putavi, ne minutias quidem spernendas ratus quoniam ex ipsius Iahnii verbis (praef. ed. min. p. 5) '*nullus Persii codex tantae auctoritatis est ut in rebus dubiis eius vestigia tuto sequaris, sed semper inter complures optio eaque non raro incerta datur.*' sed utriusque manus ductus quo facilius distinguantur primae manus lectiones litteris diductis, pressis iisque minutioribus alterius manus correcturas semper fere supra scriptas imprimi iussi. legitur vero

Prolog. vs. 11 *refulserit* (geat) fol. 2ª inscriptio haec.
THEBAIDORV̄ PERSI SATURA.

Sat I. vs. 6 *examenve* (t q;) I 19 *Tunc* (hic) I 24 *fermentum* (·/· latu) I 30 *pendes* (a) I 32 *circum* (a) I 43 *thus* I 44 *feci* (fas est) I 46 *quando hoc* I 58 *pinsit* (t pinxit) I 65 *ungues* I 68 *grandes* I 73 *dentialia* (pr. *a* erasum) I 87 *laudatur* *r* a prima manu cf. Iuv. I 1 *auditor* I 93 *claudere* I 101 *lyncae* I 106 *unguis* (e) I 119 *me* (n) *muttire.*

Sat. II 3 *hemaci* II 6 susurros II 10 *patru* //// //// II 23 *clam&* (a) II 25 *tuque domusque* II 35 *suplice* II 39 *ast ego non* (*non* eras.) *nutrici mando* (non) II 43 *mirantur* (o) II 47 *in* exp. a. m. II 63 *diis* II 66 *vacam* II 72 *Messalae* II 75 *caedo.*

Satirae III. Inscriptio praefixa est haec INCREPATIO DESIDIE HUMANE III 7 *ita nec ocius* (nunc) (*nunc* ab altera manu?) III 12 *quaeri mur* (I) (a. m. corr.?) III 15 *hunc ine* III 26 *patella* ~~est~~ (a. m. corr.?) post vs. 51 nova incipit saturae pars inscriptione instructa hac: *ADEOSDEM.* III 64 *poscentes* III 93 *laenia laturo* III 106 *induto* //// *subiere* III 116 *ira* (a. pr. m.) III 118 et IV 1 continuantur in C.

IV 16 *Anticycras* alterum c erasum IV 21 *deterius* (s) (clare) IV 25 *Quaesieri* (a. m. pr.) IV 40 *fluxasq;* (t Elixasq;)

Sat. V inscriptionem habet *ADMAGISTRVM EQVITVM CORNVTVM* V 8 *si quib;* (*b;* erasum) V 22 *quandoque* (t a) (*t a* ab a. m.?) V 29 *arcana* V 35 *deducit* V 36 *seposui* //// V 40 *suppollice* V 46 *duci* (error typothetae in Iahnii alt. ed.) V 69 *egerit hoc annos* (s) (*s* ab a. m.) V 70 *te quamvis temone* (t se, b, a) V 80 *creder&* (e t) V 85 *liberior bruto* (*r.* a. pr. m.) V 87 *illud detuo tolle* (& ut volo) V 90 *expecto* V 92 *veteres au//as* V 93 *tenua* V 98 *naturam que* (*m* erasum) V 100 *dilluis* V 102 *perornatus* V 121 *insultis* V 123 *numero* V 131 *scyticę* V 137 *audiat* (e) (exp. et corr. a. m.) V 147 *trastro* (n) V 149 *nummis* V 157 *instantibusque* (exp. schol. m. saec. XVI) V 159 *arrumpit* (exp. schol. m. saec. XVI) V 170 *radere cassas* V 176 *quem tollit hiantem* V 191 *centus eligetur.*

Sat. VI 3 *vocum* corr. sch. m. s. IX quae est ipsa manus prima VI 6 *Aegregius* (cf. vs. 49) VI 9 *praetum* (o) corr. pr. m. VI 11 *pavonem* VI 13 *angulus* (ager) VI 19 *es qui* VI 27 *avocat vel advocat* corr. pr. m. VI 37 *minuas. Sed Bestius* VI 44 *ob caudem* VI 48 *paria* suppl. ips. C VI 49 *aegregiae* VI 50 *papello* (o) (corr. pr. m.?) VI 52 *iusta* (x) (corr. pr. m.?) VI 58 *haui* VI 59 *ritum* VI 63 *rennuis* vs. VI 65 finit: *fuge quaerere quod mihi* VI 66 *quondam legarat* ... VI 71 *tusista* VI 72 *vagos ingultet* VI 77 *catastas* (*s* exp. m. schol. s. XVI) VI 79 *decies* VI 80 *Iuventus* (N) (*u.* exp. a. m.)

Eadem manus saec. X ad quam hae correcturae in saturis Persii referendae sunt pauca scholia ad 'commentum Cornuti' spectantia in margine adiecit neque solum fol. 1ᵛ ad prologum et sat. I vs. 1—4 usque ad '*Labeonem*' sed etiam ad III 79 ss. quos commentarios ex hoc teste satis antiquo plene depromsi et cum textu Iahniano comparavi, quo facilius quae ratio inter hanc et illam scholiorum conceptionem intercedat cognosci liceat.

Scholia igitur ad III 79 sq. ed. Iahn pp. 305 sq.	exhibet Pithoean.
Solones autem sane more Romano dixit, ut Catones, Camillos, Drusos. Aerumnosi autem, quia frugalitas philosophorum misera videtur luxuriosis et prodigis eo quod animum colentes corporis cultum abiiciant. Arcesilas Scythi filius, Pilanaeus, Cyrenaicus philosophus peritissimus fuit, qui Academiam primus invenit.	*Salones* (sic) *autem dixit, sicut Catones Camillos. Erumnosos autem dicit quia frugalitas phylosophorum misera videtur luxuriosis divitibus et prodigis.* (reliqua desunt.)
80. *Obstipo capite quod tacita et intenta cogitacione quasi obstupidi videantur. Opstipo id est inclinato et gravitatem simulante et cum obliquitate fixo. Et figentes lumine terram, id est luminibus immobiliter in terram fixis . . . . .*	*Opstipo capite quod tacita et intenta cogitatione quasi obstupidi videantur vel inclinato capite et gravitate simulante et cum obliquitate fixo.* (Reliqua desunt.)
84. . . . *Philosophi sibi oculis formant de quibus scripturi sunt ut sunt diuturna infirmitate homines, quibus siccitate febrium et insomnitate diversorum imagines oculis eorum formantur.*	*Phylosophi oculis sibi formant de quibus scripturi sunt ut sunt diuturna infirmitate homines quorum oculis pressi* (nunc alia penna usus idem librarius pergit) *pressi* (eras.) *cecitate febrium febrium α* (sic) *insomnietate diversorum imagines formantur.*

De ceteris manibus codicis P.

Verum inde a saeculo decimo codex minutias si excipis usque ad studia antiquarum litterarum renata fere intactus mansit; quo quidem tempore duae potissimum manus in eo versabantur. quarum alterius ad saec. XV pertinentis iam supra mentio facta est cum manum quandam nigro atramento insignem in folio primo notas '*Persius*' '*Iuvenalis*' et '*Mathias 1464*' conscripsisse et ex ipsis saturis res memorabiles elegisse et in margine adnotasse rettulimus. ad hanc quoque manum pertinent quae exordio sat. sextae adscripta leguntur: ad vs. 1 '*De etatibus mundi*' ad vs. 15 $\bar{2}$ *etas* (*secunda aetas*) ad vs. 23 '*Quod non sit ducenda uxor*' quam novissimam notam Iahn in scholiis quasi ad antiqua scholia pertinentem exhibuit.[1]) denique ut manuum aliarum nescio quot

1) Eadem manus versibus quoque 'emendandis' vacavit et fol. 80ᵃ ante vitam priorem quatuor versus hexametros quos vocant 'Leoninos' adspersit

nugas praetermittamus uno fere saeculo post *Petrus Pithoeus* celeberrimus ille iuris consultus quem librum hunc possedisse notissimum est in ea parte codicis quam saturae Persii explent commentarium 'Cornutianum' a manu saec. X incohatum ad finem perduxit et in scholiis Iuvenalianis quoque notas suas adiecit, de qua re conf. Melet. Vindob. VI 304 sq.

Tabulae adiectae explicatio.

Iam vero restat ut quae modo de singulis manibus exposuimus tabulae adminiculo usi paucis illustremus. delineantur quidem imagine (eadem quae codici ipsi est magnitudine expressa) primi undetriginta saturae primae versiculi Iuvenalis utroque margine scholiis instructi. atque manus antiquissimae scripturam qui ad saec. IX fere medium referre voluerit me non habebit adversarium; est scriptura quam vocant minusculam Carolingicam bene exculta; compendia nulla; ex ligaturis inveni solas formas ſt et & (& facile cum vocula ex commutari potest, cf. vs. 2 et 5). imprimis vero notandum lineolam supra vocales ductam qua litterae m vel n significantur cuiusque in libris vel saeculo octavo scriptis etiam in mediis versibus et verbis vulgatissimus est usus paucissimis iisque sat dubiis locis exceptis a prima manu non usurpatam esse, neque id multo saepius in scholiis antiquioribus quae perfacile iam primo obtutu ab iis, quae ad Cornutianam recensionem pertinent distinguuntur. ad veterem igitur commentarium scholia in folio 13ᵛ exhibita pertinent haec: in margine sinistro *Semper ego* (lemma, semper fere a glossa puncto distinctum) — *demonstrando notare* (I 1), *Telephus — dicit* (I 5), *Scriptus — occidisse* (I 6), *Vulcani — posuit* (I 9), *Aeacus — fuerunt* (I 10), *Frontonis — recitabant* (I 12), *Figat aprum — largiatur* (I 23), *Cum pars — facultatum* (I 26), *Ventileta — invenerat* (I 28) in margine dextro: *Cordi — theseus* (I 2), *Ille togatas — fecit* (I 3), *Telephus — nutritus est* (I 5), *Orestes — matrem* (I 6), *Quam mihi lucus — peperit* (I 7), *Canopi — extinctus est* (I 26), atque lemmata mirum in modum ita distributa esse videmus ut quae initium versus cuiusdam praebent ponantur in

Non modo vir talis ut Persius et Iuvenalis
Vivit in hoc mundo qui corrigit ore iocundo
Crimina parvorum maiorum sive minorum
Huic praeeunt vera morum titubante statera.

Iidem versus inveniuntur in Iuv. cod. Monac. 73, fol. 399ʳ; Vind. 3114, fol. 88ᵛ.

margine sinistro, in dextro, quae versuum extrema verba complectuntur; voculae autem ex mediis versibus desumptae per se solae nunquam lemma efficiunt.

Quae res sat memorabilis quid valeat alio loco fusius tractare in animo est[1]); sed ut iam ad manuum singularum condicionem redeamus horum scholiorum et versuum scriptura accuratius inter se comparata quin utraque ad unum librarium referenda sit dubium esse nequit; contra scholia recentiora non prius quam saeculo decimo fere exeunte adscripta esse iniuriaque Iahnium scholion ad vs. I 20 quod margine sinistro versui 11 adpictum legitur: *Auruncę. Lucium satyricum dicit, qui fuit Auruncus id est Tuscus* in veterum commentariorum corpus recepisse apparet[2]); cum quibus commentariis 'Cornutianis' satis accurate conveniunt scholia quae leguntur in cod. Sang. no. 871, codd. Vindobb. no. 277 et no. 131, quos partem descripsi partem excussi.[3]) eadem, quae haec scholia marginalia adiecit manus etiam glossas interlineares intrusit et versibus 'emendandis' operam dedit, cuius operae funestae etiam hac pagina vestigia facile cognoscuntur. atque iam in alterius versus fine post syllabam *co* litteram erasam esse manifestum est: quaenam fuerit una prodit lemmatum lectio *cordi* integre servata, nam litterae erasae vel acie oculorum intenta nec umbra nec vestigium conspicitur. sed litterae *r* lineolam productam ~ et litteram *i* aliam manum sapere identidem hos ductus observantem fugere nequit: videlicet manus altera ex *cordi codri* effecit. item vs. 10 cauda litterae *e* in vocula *furtivę* ab altera manu profecta est neque aliunde originem repetam correcturarum *meviatus cum* (vs. 22) vel *tyriasumerorevocante* et *h* litterae supra *u* in voce *umero* adpictae. subtilius vero munere suo functus est corrector, cum vs. 28 ex *ventileta aestivum* (nam hanc lectionem lemma adscriptum praebet ac fraudem factam esse et rasura circa litteras *let ae* . . et ductus litterae *t* ostendit) effecit *ventilet aestivo* et in verbo subsequente 'dicitis' *f* virgula adiecta *c* in *g* mutavit. —

Ad tertiam quandam manum referam notas *t numquamne*

1) Meletem. Vindob. tom. VII fasc. altero. 2) Alia quoque scholia ad recensionem Cornutianam spectantia a Iahnio veteri corpori admixta esse primus Stephan docuit l. s. c. p. 6 ss. 3) Cf. ann. gymn. Austriac. 1884 p. 187 sq.

vs. primo adscriptum, *ego* vs. 13 *ac t et* vs. 21; neque recentium de quibus disputavimus manuum vestigia in hac pagina desunt, quarum prior (ad saec. XV relata) voculas *hic elegos* ex versu altero desumpsit et in margine enotavit; difficilior vero lectu est Pithoei manus, qui in scholio primo ad voculam *erant* emendationem '*etiam*' adscripsit, et deinde *hos* rectissime in *Oasin* mutari iussit quam vocem cum nota *Sat. 4* in margine supero exaravit. idem vir doctus ad schol. I 5 *Ovidius* in margine scripsit et omnes glossas deterioris recensionis lineis oblique ductis delevit.

De libri P fatis.

Iamiam hic ne descriptio nostra iusto plus accrescat subsistere verboque tantum attingere libet libri huius fata, de quibus cum omnino pauca constiterint vel de nonnullis quae adhuc apud omnes fidem habebant dubitationem meam non celaverim. nam quod vulgo credebant ex inscriptione folii novissimi *Codex sci Nazarii Martiris XPI* concludi posse librum in monasterio Laureshamensi scriptum esse, hanc notam magis contra illam opinionem quam pro ea facere ex iis quae de eius aetate atque tota folii 80 condicione disputavimus facile perspicitur. neque ego librum Pithoeanum eundem esse censuerim cum codice, qui in catalogo saeculo decimo conscripto ('*Breviarium codicum monasterii S. Nazarii in Laurissa seu Laureshamensis ad Rhenum*'[1])) no 427 affertur: *liber Iuvenalis poetae*, id quod affirmare ausus est Stephan l. c. p. 3, quoniam in nota illa catalogi diligentissime omni ex parte confecti unus Iuvenalis nominatur, omittitur liber Persii, quamquam in folio 2ʳ cod. Pithoeani diserte scriptum legitur: THEBAIDORVM PERSII SATURA; contra mihi quoque probabile videtur codicem haud multo post illud breviarium confectum, saeculo etiam decimo, in numero librorum illius monasterii fuisse; sed inde ab hoc tempore usque ad finem saeculi sexti decimi qua fortuna usus sit aliquid certi proferri nequit. sane quidem non ignoro notam supra allatam *Mathias 1469* vulgo referri ad Mathiam Corvinum pronamque ideo esse coniecturam codicem illo tempore inter libros celeberrimae bybliothecae 'Corvinae' fuisse. quod nisi aliis indiciis et argumentis probatum erit ut credam a me impetrare nequeo. inveniuntur enim in folio primo notae huius generis plures, in

1) Cf. *Becker, Catalogi bibliothecarum antiqui Bonnae 1885* p. 82 ss.

catalogis librorum manu scriptorum bybliothecae Corvinae libri qui Persium vel Iuvenalem exhibuerit nec vola nec vestigium[1]); qua de causa si omnino rationem quandam inter notam illam et regem Hungariae statuere voluerimus, de librarii adnotatione qui codicem regis iussu describere instituit cogitarim. denique, ne hoc praetermittam, si codex ad bybliothecam illam pertinuit paulo post tegumina solito more corvi imagine ornata avulsa iisque quae hodie librum contegunt suppleta sunt. ceterum tota haec de variis mirisque itineribus libri Pithoeani fabula ex verbis ipsius Petri Pithoei in fine commentarii antiqui prolatis originem traxisse videtur: '(*exemplar*) *quod de Budensis cladis reliquiis in Thassilonis quondam ducis coenobium relatum fuisse ex Mathiae adscripto nomine facile adductus sum ut crederem*', quae perversissima esse, Pithoeum iam ipsum vel etiam eius fratrem Franciscum, a quo librum dono accepit, de codicis fatis plane nihil certi compertum habuisse neminem gnarum fallere potest. post mortem vero Pithoei codex inter libros collegii oratorii Trecensis fuit (cf. pag. 11), deinde in bybliothecam publicam Trecensem, denique Montepessulam pervenit (cf. *9. Libri Notice des manuscrits de quelques bibliothèques des départements*, Journal des Savants a. 1841 et 1842).

De fragmentis Aroviensibus eorumque cum libro P concordia.

Haec fere inservire posse putavi libro pretiosissimo et accuratius et plenius cognoscendo, qui unus omnium recensio-

1) *Eugenius Abel* professor Budensis litteris humanissimis datis catalogorum bybliothecae Corvinae delectum mecum communicavit; inveniuntur libri Budenses enumerati cum ab aliis tum a Budikio, annal. litt. Vindob. 1839. LXXXVIII in actis adiectis p. 37 sq., ab E. G. Vogel 'Verzeichnis corvinischer Handschriften in öffentlichen Bibliotheken' Serap. X 1849 p. 273—285, a Ludov. Ficker, Koenig Mathias und seine Bibliothek Vindob. 1878. — Idem Abel libros antiquos in bybliotheca Corvina asservatos esse demonstrare studens (in *Litterarische Berichte aus Ungarn 1878 p. 580 sq.*) inter alios codices librum quoque Pithoeanum enumeravit, nunc vero ipse a sententia sua recessit. Scribit enim mihi litt. dat. Id. Ian. 1885 '*Ich habe mich zu dieser Notiz durch Pithou, Jahn, Hermann etc. verleiten lassen. Seitdem ich aber in „Catalogue . . des départements“ gefunden habe, worauf sich ihre Vermuthung gründet (denn ausser diesem Mathias 1469 zeugt absolut nichts für den Corvinianischen Ursprung der Hs.) bin ich überzeugt, dass die Hs. niemals der Corvina angehört hat. König Mathias hat zwar von 1458 bis 1490 regiert, doch findet sich auf keiner Corvinahs. eine so sonderbare Angabe ihres königlichen Besitzers als auf dem cod. Pithoeanus.*'

nem meliorem versuum servavit, licet ne eam quidem ut iam vidimus ubique integram. sed turbatae memoriae fontes incorruptos indagare studentibus inopinatum adminiculum succrevit schedis Aroviensibus[1]) nuper repertis, quae proxime a codice Montepessulano et recensione et toto habitu externo distant, quarumque accuratam notitiam attulit Ioannes Wirz Herm. XV 437 ss. sed collatione denuo a. 1884 a me instituta[2]) etsi nihil fere nisi praestantia et descriptionis et collationis Wirzianae probata est etiam accuratior materiae retractatio non superflua videbatur, cum et in rebus ipsis hic illic certius afferendis quaestionibus singulis succurri et libri Pithoeani natura accuratius quam adhuc factum est cognita de ratione, quae inter hos testes optimos intercederet tutius iudicari posse intellexissem.

Repertae sunt igitur schedae Aroviae in tabulario nuper denuo digesto, vilibus libellis circumdatae, atque huic usui quo magis servirent hac illa ex parte praecisae. quarum prima sat. II 148—155, III 6—13, altera III 35—63 et 64—92, tertia VI 136—164 (pag. 1) VI 165—193 (pag. 2), VI 427—455 (pag. 3) VI 456—484 (pag. 4), quarta sat. VI 252—280 (pag. 1) VI 281—310 (pag. 2) VI 311—339 (pag. 3), VI 340—368 quinta sat. VII 57—85 (pag. 1), VII 86—114 (pag. 2) VII 115—143 (pag. 3) VII 144—172 (pag. 4) exhibet.

De origine fragmentorum Wirz l. s. s. p. 438 coicit haec: '*Es gab da* (scilicet Aroviae) *ein Frauenkloster, daneben freilich eine Bruderschaft der Capläne, deren neun mit einem Plebanus die Parochialkirche bedienten. Diese besass eine Bibliothek, der einmal ein Leutpriester seine Bücher vermachte . . . . Die Zerstörung der Handschrift fällt wohl in die Zeit der Reformation, wo, wie das Kloster, auch die Bruderschaft der Capläne aufgehoben wurde*'. qua in re disceptanda non nullius momenti esse videbantur inscriptiones schedarum saec. XVI confectae, quas Wirz non enucleavit. legitur enim in fragmento II. *Frnitas ſ Sebastiani mris* (fraternitas sancti

1) Arovia (Aarau) nomen est urbis, Argovia (Aargau) nomen pagi; fragmenta in urbe reperta recte Aroviensia nominantur.
2) Libenter occasione data *Tannero* praefecto urbis Aroviae et *Nigglio* scribae senatus viris amplissimis, qui non solum schedarum commode conferendarum facultatem mihi dederunt, sed etiam tabellarii perscrutandi operae sat molestae socios ultro se obtulerunt publicas ago gratias.

Sebastiani martyris), in tertio *Frnitas Scti Severi,* quam inscriptionem excipiunt verba iniuria temporum evanida quorum novissima tantum legere potui: . . . *qui diligit deum, diligit et fratrem suum.* similes notae etiam in reliquis schedis inveniuntur: in quarta *Frnitas Sctor̄ mr̄ Crispini et Crispiniani,* denique quae nota gravissima est

Frnitas Dnor̄ Capellanorum ·)·)

Capelariorum (sic)	*Sacellanorum*
Regist	*Sacerdotium in arov*

Confraternitatis iz

quas inscriptiones sine dubio ab eo exaratas qui singulas tabellas digessit involucrisque circundedit si recte intellego liber integer Iuvenalis non post illam fraternitatem dissolutam foede concisus est, sed ab ipsis capellanis vel tabellarii eorum praefecto. id quidem certum et exploratum est ex reliquis libri optimi partibus nihil nisi has schedas aetatem tulisse, quod tabellarii Aroviensis perlustratio imprimis involucrorum recensio a me instituta plane probavit.

Attamen vel ex his fragmentis misere truncatis iisque multis locis simili quo P modo ab altera manu correctis quin magnum lucrum ad crisin Iuvenalianam redundet fieri nequit. nam schedas illas plane ad eandem quam Pithoeanus pertinere recensionem iam primis versibus collatis neminem praeterire potest: exhibent enim si paucorum versuum ambitum respicere volumus et P et A III 36 *cedunt* (*cae* — A) III 38 *poricas* III 39 *at* III 40 *locari* III 51 *nihil* III 60 *opstabit,* quae lectiones omnes ab his testibus solis traduntur; quam librorum A et P cognationem et in summis et in levissimis rebus pariter valere iam Wirz tam clare docuit, ut ad eius disputationem (p. 439 ss.) relegasse satis habere possimus; multo artioribus etiam vinculis quam adhuc notum erat A et P inter se contineri postea apparebit. sed primum res ab ipso Wirzio detectas et illustratas ordine retractemus.

Quod enim Wirz ex altero exemplari alterius lectiones corruptas vel erasas restitui et suppleri posse affirmat nil magis ex librorum natura consentaneum videtur; de locis singulis vero quos ille enumeravit certiora proferri possunt: VI 136 ductus primae manus in cod. A dispici possunt; exaravit *set,* P non *et,* verum *optimas et* (⌒ a p) praebet. VI 159 recensio quam vocant Pithoeanam certo *festa nudo pede* exhibuit; *mero* enim in codice P supra scriptum non a prima sed ab altera manu profectum est. VI 341 et A et P *imitata figuras* praebent, VII 109 *accrior* AP; VI 142 *//ubulae* A, *uibulae,* ut Iahn recte adnotat, P. VII 115 *surdis* A, in P apparent ductus primae manus hi *sur o///f, o* et *f* parum certa sunt. non minus feliciter Wirz cod. A testimonio ductus locos dubios libri Pithoeani restituit paucaque fuere quae ab eo coniecta nova collatione cod. P non probata sint: exhibent enim II 150 *Et pontum* A *Et ////ontum* P III 38 *quae nunc* AP III 63 *thibicine* VI 256 *cruoris* AP VI 277 *lecturae* A *lectura///* P VI 278 *moechi* AP VI 379 *testiculis* AP VII 69 *Vergilio* AP VII 93 *invidia sua* (sic) *aut* A *invidia sua a///t* P VII 128 *statuam* AP. sed etiam permultis locis quibus Wirz notis Iahnianis nisus Pithoeanum librum ab A discrepare conclusit consensus codd. A et P nova collatione probatus est. conspirant igitur A et P locis quoque his: III 40 *locari* III 90 *deterius* VI 147 *emunceris;* II 148 *quit* III 37 *reverso* III 77 *macus* (III 88 *natus amaenis* A *natus /// /// ///

singulas syllabas a librario memoria proximorum quae una scripsit verborum decepto male depictas cf. II 148 *munere* r. *munera* II 152 *aere levantur* r. *lavantur* III 37 *popurariter* r. *populariter, reverso conducunt* r. *reversi* III 64 *obliquis* r. *obliquas* III 66 *grate est* r. *grataest* III 71 *esqualias* r. *Esquilias* III 74 *prumptus* r. *promtus* III 76 *aliptos* propter *ad nos* verba suprascripta ut vs. 78 *obit* propter *novit,* recte *aliptes, ibit* III 89 *tullure* r. *tellure* III 91 *gallinam arato* r. *gallina marito* VI 143 *ardet . . excutiat* r. excutias VI 152 *domo* r. *domi* VI 169 *numeros . . triumphos* r. *numeras* VII 90 *tu Cameritos* r. *Camerinos;* III 65 *prostrare* r. *prostare.*

Quam errorum naturae indagandae putidam ut aliis fortasse videbitur curam ideo nequaquam respuendam duxi cum lectionum diversarum origine et causa indagata concedere debeamus quod multitudo exemplorum concedi iubet fragmenta fere tota pendere ex libro Pithoeano rebusque ita comparatis Wirzii iudicium (l. c. p. 442) '*Das Ergebnis aus diesen Zusammenstellungen ist dieses, dass A nicht aus P geflossen (so wenig als umgekehrt P aus A) wahrscheinlich aus einer Abschrift des Originals von P und nicht aus diesem selbst*' omnibus ex partibus labefactari.[1]) Quid quod missis his exemplis argumentis extrinsecus repetitis librarium cod. A, cum librum suum conscripsit codicem P ante oculos habuisse probabile fit?

Sed iam accuratius in rem gravissimam inquiramus respectis imprimis iis, quae de externo fragmentorum habitu constant. '*Das Format des Codex*' prodit Wirz l. s. s. p. 438 '*war gross Quart: 0,29 auf 0,268 m; die Seite enthielt 29 Zeilen Text und Scholien an beiden Rändern*'. aperte haec concinere videmus cum iis, quae de cod. P forma rettulimus atque ita ut libri utriusque magnitudo ad millesimam metri partem congruat. sed velim audias quae sequuntur: . . . '*Da Stück IV und V je die innerste Lage eines Quaternio gebildet haben, und jede Seite 29 Zeilen Text enthalten hat, so ergiebt sich durch Berechnung sehr leicht folgendes: Stück III gehörte zum nämlichen Quaternio wie IV und bildete dessen zweite Lage, während die dritte verloren ge-*

1) Quod deinde profert '*Dies stellt sich noch deutlicher heraus bei Betrachtung des Textes der Scholien in A*' non recte se habere alio loco demonstrare studui, Melet. Vind. VI 310.

gangen; Stück I ist der Rest des vorderen Halbblattes von Stück II und sie bildeten desgleichen die innerste Lage eines Quaternio; derselbe wird mit Sat. I 145 begonnen haben.' haec audacter coniecta videntur; coiciam audaciora illis: exordium cepit quaternio ille a versu I 146 foliumque in quo hic versus primus scriptus erat integri codicis folium fuit sextum decimum scriptura completum: quod ut confidenter affirmatum videtur ita luculenter confirmari potest. exhibent enim et A et P singulis quae in utroque libro sibi respondent foliis eosdem versus sine ulla deductione vel additione id quod tabula subiecta statim apparebit:

A	P
Frgm. I[r] inc. a. vs. II 148 *admoveas cuius . . .*	fol. 19[a] inc. a. vs. II 148 *admoveas cuius . . .*
„ I[v] — — III 6 *nam quid . . .*	„ 19[b] — — III 6 *nam quid . . .*
„ II[r] — — III 35 *perpetui comites . .*	„ 20[a] — — III 35 *perpetui comites . . .*
„ II[v] — — III 64 *obliquas nec . .*	„ 20[b] — — III 64 *obliquas nec . .*
„ III f. 1 — — VI 136 *optima set . . .*	„ 23[a] — — VI 136 *optima set . .*
. . . . .	. . . . .
„ IV f. 1 inc. a. vs. VI 252 *quem praestare . . .*	„ 35[a] inc. a. vs. VI 252 *quem praestare . . .*
. . . . .	. . . . .
„ V p. 1 inc. a. vs. VII 57 *anxietate . . .*	„ 43[a] inc. a. vs. VII 57 *anxietate . . .*
. . . . .	. . . . .
„ V p. 4 expl. c. vs. VII 172 *consilia — ingredietur* (ultimus fragmentorum versus.)	„ 44[b] expl. c. vs. VII 172 *consilia — ingreditur.*

quo consensu aperte evincitur librum A olim eodem modo quo P compositum fuisse decem quaternionibus, quorum primus Persii satiras et Iuvenalis sat. I 145, quat. II—X reliquas saturas Iuvenalis exhibuerint. mira haec utriusque libri similitudo multo magis etiam conspicitur ex ratione scholiorum adpingendorum, quae in utroque exemplari tanto opere convenit ut non solum scholia ipsa singulis foliis exarata accurate sibi respondeant, quaeque in P sinistro vel dextro margine leguntur eadem reperiantur in sinistro vel dextro margine codicis A, sed etiam anxie servetur scholii cuiusque sedes velut explicationes ad vss. VI 164 et 339 infra versus in cod. P descendentes descendant etiam in A.

Quae cum ita se habeant nemo puto quin artior etiam quam adhuc cognitus erat conexus inter libros A et P intercedat dubitabit. nam quo tu miro atque adeo prodigioso casu factum esse putaveris, ut tanta similitudo tanta externae formae versuum et scholiorum singulis foliis conscriptorum concordia effecta sit? etenim si tertium etiam exstitisse exemplar finxerimus codicibus A et P simillimum ex quo hi libri accuratissime descripti sint, difficultates omnes solutas videri non nego; tum vero statuere debes duos diversorum temporum librarios exemplar illud ita imitatos esse, ut eorum libri quod externam formam attinet paene iidem facti sint, licet nulla omnino ratio inter ipsos intercesserit! addo aliud. in cod. P post vs. sat. IV 141 versus quidam male repetitus est; itaque numero versuum qui singulis paginis conscribebantur turbato in hac pagina tantum 28 non 29 versus leguntur. nihilo setius 320 fere versibus post fragmentum III ab eodem quo P fol. 33ª versu incipit (VI 136) *Optima set quare* etqs. num etiam in tertio illo exemplari eodem loco versum repetitum esse fingamus? videmus igitur, in hoc tertio exemplari, quod A et P ab omni parte forma foliis versibus et scholiis digestis simillimum fuerit constituendo cautione opus esse.[1])

Sane quidem omnes difficultates evanescerent, si A ex P originem duxisse statuere possemus, id quod a veri specie non abhorrere ex iis quae antea disputavi facile quispiam coiciat. verumtamen singulis lectionibus utriusque libri accurate collatis et examinatis hanc explicationem nullo pacto admitti posse mihi persuasi. nam ut omittam in A lectiones nonnullas exstare quae ex libri P scripturis explicari nequeunt velut III 64 *ingentia* A *gentilia* P, III 86 *genus* A *gens* P, VI 263 *cursu erunt* A *curvetur* P, VI 345 *Claudius* A *clodius* P — inveniuntur hic illic in A quae plenius vel etiam rectius conscripta sunt quam in P; inter quos locos numeraverim III 6 *ut non* A *ut no* P, VI 259 *haec* A *hae* P, VII 136 *illis* om. P *illi* A; VII 157 *nosse velunt* A *nosse volunt* P recte *velint*, neque minus lectiones quaedam scholiorum fragmenta Aroviensia

1) Ceterum scriptura cod. archetypi librorum A et P ita comparata erat ut i et t facile permutarentur: velut VII 79 librarius cod. A *iaceat* recte legit, in cod. P male scriptum est *taceat*. quae confusio nequaquam ad litteras quales saeculo nono conscribebantur sed potius ad scripturam uncialem, quam libro illi archetypo fuisse infra ostendemus, referenda est.

proprium locum obtinere recteque Wirzium de eorum auctoritate statuisse probant.

Quae omnia cum quaestionem propositam impeditissimam reddant aliam excogitare studui explicationis viam dicamque quae mihi rem iterum iterumque ponderanti probabilia visa sunt. etenim Caroli Magni aetate iisque quae insequebantur temporibus quantum studium collatum sit cum ad omnes litteras tum ad veterum scriptorum libros eosque ex antiquis exemplaribus transcribendos et vulgandos nemo nescit; forma universa librorum mutata nova codicum conscribendorum ratio oritur ductibusque impeditis veterum exemplarium abiectis nova scriptura excolitur cui proprie nomen 'Carolingica' inditum. quibus studiis quantum textus Iuvenalis debeat infra videre licebit neque hoc loco quae capite altero exponam praecipere in animo est; atqui liber Pithoeanus illustre horum studiorum est documentum: excellit quidem scriptura elegantissima, dispositione perspicua scholiorum et versuum, verum non caret erroribus, qui in vetustis exemplaribus transcribendis evitari non potuerant, de quibus erroribus iam dictum est pluraque etiam infra dicentur. nova autem textus compositio novis codicum conscribendorum rationibus adaequata ut difficilis erat librario, qui quaterniones folia linearum schema primus construere et adornare debuit, ita prona se obtulit aliis librariis occasio qua usi hanc externam formam bene constitutam imitando exprimerent, licet quae erat illius aetatis talibus in rebus religio[1]) textum ipsum ex antiquiore exemplari si quod iis praesto erat hauserint et descripserint. quae scrupulosa ratio si cui mira videtur, quanto studio illa aetate bona exemplaria conquisita collata apographa ipsa emendata sint meminerit, quandoquidem in uno libro conficiendo plura exemplaria adhibita esse codicum notae nos edocent[2]); neque exempla similis imitationis externae formae desunt, cum in Hieronymi Plauti[3]) Senecae[4]) codicibus

1) Cf. *Wattenbach, Schriftwesen im Mittelalter*[2] 272 ss. 2) In Prisciani cod. Paris. 7496 inveniuntur notae cod. '*vetustus*' cod. '*alter*' ceterum cf. Wattenbachii l. s. s. p. 277 ss. 3) Cf. *Plauti Trinumm.* ex rec. *Ritschelii*, ed. III. a *Schoellio* recognita p. XXII adnot. 3. *Tantaque est utriusque codicis* (C et D) *congruentia ut et eosdem versus . . . singulae paginae teneant, nec quaterniones ipso ambitu . . discrepent . . .* 4) Cf. *Senecae epistulas aliquot ex Bambergensi et Argentoratensi codicibus edidit F. Buecheler.* Bonnae 1878. pag. 149. *a* lubricas *incipit folium quaternionis secundi secun-*

singulorum foliorum argumentum verbotenus congruat; graviora etiam exempla servilis imitationis exemplarium congessit Wattenbach l. c. p. 133 sq.[1])

Eadem igitur cura usum fuisse puto librarium cod. A qui in textu describendo antiquum quoddam exemplar, in forma externa constituenda librum P sequi voluisse putandus sit. magnum enim inter singulas bybliothecas vel monasteria librorum commutandorum vel ad usum suppeditandorum commercium fuisse testes sunt epistulae hoc consilio invicem missae[2]): qua de causa si quis fontes antiquissimos adire instituerat facultas eorum conquirendorum ei non defuit; quam facultatem librarius cod. A ne respueret etsi libro Pithoeano uti ei licuit vel ideo commoveri debuit, cum quo tempore liber A scriptus est saeculo ut puto X medio vel exeunte[3]) in codice Pithoeano iam altera manus verba germana depravavisset.

Sin potius ad tertium quoddam exemplar A et P simillimum refugere voles, non multum obloquor; tum vero, ut pauca depromam, ex eodem libro, coaevo scilicet codici P lectuque facillimo, hausissent III 64 *ingentia* librarius cod. A, *gentilia* libr. cod. P; VI 263 *cursu erunt* A, *curvetur* P; VII 183 *conservans* A, *non servat* P; schol. ad II 155 *Fabrici* A, *Fabii* P; ad III 81 *aurus* A, *avitus* P; III 154 *depictę sunt* A, *depicta est* P; III 256 *officiorum* A, *officium* P; III 308 *deridentib*; A, *deridentis* P; VI 430 *MARMOREIS* A, *MARMORIBUS* P, quae lectionum diversitas vix explicari potest ex fonte A et P simillimo scriptura diluucida Carolina conscripto, facilius vero

---

dum in A B, pag. 18. 19 *a* publicarum *incipit quaternionis secundi folium quintum in A B;* cf. etiam 20. 1. 22. 23, alios locos. 1) *Bei einer Coelner Handschrift der Decretalen mit der Glosse wirkte der Umstand, dass die am Rande geschriebene Glosse zum Texte passen musste, und der Schreiber füllte deshalb den übrig bleibenden Raum mit Federstrichen und allerlei Geschreibsel. Umgekehrt wurde dem Schreiber der Canonensammlung saec. VII. mit seiner grossen irischen Halbuncialschrift der Raum zu enge und er schrieb deshalb die letzten Zeilen mit kleinerer Schrift.* 2) Cf. Wattenbach l. c. p. 452 ss., Becker, catalogi antiqui p. 57 ss. p. 125. 126, quo loco novissimo Fromundi coenobitae Tegernseensis epistulae saec. X conscriptae leguntur, quarum in XVI invenis haec: *Librum Boetii vestro brevi a me vobis petivistis praestari cuius libros . . . conscripsi pleniterque, ut puto glossica conscriptione depinxi, . . . simulque librum Iuvenalis et Persii pro commutatione arithmeticae Boetii* . . . etqsq. 3) Wirz fragmenta ad saec. X vel XI refert.

ex exemplari cariosae vetustatis quale archetypon X fuisse affirmare assevero.

Enucleate agendum erat de his testibus optimis olim ab omni parte integris, brevius absolvamus reliqua recensionis adminicula quae aut aliis fundamentis fulta separatim tractentur necesse est, dico scholia, aut iamiam magis magisque ab integra memoria distant, cautione neglecta fallax incertumque refugium.

De scholiorum lemmatis.

Scholia vero ab omnibus peritis in crisi Iuvenaliana magni facta nequaquam ea quam hodie desideramus cura vulgata esse inter viros doctos convenit, quae essent novae eorum recensionis fundamenta quique potissimum usus demonstrare studui Meletematum Vindobonensium vol. VI fasc. 2 et VII 2. spectant quidem quae illic aperui ad universam scholiorum editionem, de lemmatis quae explorasse mihi visus sum paucis subiciam. conveniunt enim ea multo accuratius quam adhuc cognitum erat cum recensione Pithoeana atque fere ubivis discrepare S et P Iahn adnotat male eum edoctum esse iure suspiceris[1]), exceptis viginti tantum locis quibus quae differunt inter S et P casui originem debent vel librariorum socordiae. nimirum lemmatum lectiones ubique duorum exemplarium (codicis Pithoeani et Sangallensis 870) fideliter conspirantium testimoniis firmatae ad idem exemplar atque P et A redeunt; excerpsit librarius saeculo nono, ut inter omnes constat aliquantum, ut ego puto multo inferior textus verba quae ei visa sunt praefixitque explicationibus; servata sunt ideo verba optimae recensionis eodem quo P rivulo deducta, servata multo integrius quam versus codicis P multifariam ab altera manu corrupti. quo fit ut lemmata scholiorum, unus integerrimus etsi ex multis intervallis rediens optimae recensionis fons, longe vel Pithoeani textum auctoritate superent, repraesentent sinceram codicis archetypi ex quo omnes libri servati praeter schedas Vaticanas manarunt memoriam. omnino librarius ille cum lemmata e textu versuum desumpsit pueriliter quidem (cf. II 160 LITTORALIA P. P. VII 214 MALLOBROGA, alia) sed scrupulosissime munere suo functus est, ut longe plurimis locis S verba accuratius scripta exhibeant quam P, paucis locis quibus P meliora praebet IV 138 *famem* P, *famam* S; V 45 *zelotypo* P, *zelotype* S; V 88 *datur* P, *dabitur* S; VI 436

---

1) Singulos locos correxi in disputatione altera supra commemorata.

committit P A, *committat* Schol. in P A Sang.; IX 139 *quo* P, *quod* S; IX 142 *quae* P, *quam* S; X 21 *motae* P, *mota* S correcturas vel in P vel in ipsius codicis archetypi versibus factas esse quae est harum lectionum natura haud temere coicias. lemmata autem in codice Pithoeano et Sangallensi semper ut dixi accuratissime convenientia verbis in P servatis praeferenda sunt locis his II 16 *Peribomius* S, *Peribomus* P; III 214 *gemimus* S, *geminus* P; III 320 *Helvinam* S, *Hevinam* P; IV 2 *ad partes* S, *ad patres* P; IV 41 *implevitque sinus* S, *implevit sinus* P; IV 43 *torrentis* S, *torpentis* P; IV 106 *saturam* S, *satyram* P; VI 126 *britanno* S, *brittanno* P; VI 158 *dedit hunc* S, *dedit hoc* P; VII 45 *constant* S, *constat* P, XI 142 *capreae* S, *caprae* P; XII 67 *arte* S, *artes* P; XII 75 *aequora* S, *aequore* P. — ceterum librarius codicis P cum scholia exaravit haud pauca in versibus ipsis antea a se scriptis correxit eaque penna usus tenuiore, qua de causa hae correcturae unde profectae sint facile agnoscuntur. semper vero accurate textum germanum observans recte verba textus mutavit, quas mutationes fere omnes Bertinus perperam alteri manui attribuit; correxit autem ipsa prima manus I 53 *au*$^{\tau}$ *diomedeas*, I 85 *votum* ^{timor} *ira*, III 138 *idae*^{i}, III 304 *catenaest* ^{ta} *luit*, VI 9 *ubera* $_{manus}$, VI 29 *thisipone exagitare* $_{quibus}$ *colubris* (sic), VI 518 *adventum* ^{nisi} *se centum*, VI 527 *ibi*$^{\tau}$, VII 20 *hoc* ^{o} *agite iuvenes*, VII 210 ^{h} *acilles*, XIII 52 *poena* ^{sed} *infernis*, XIII 86 *sunt* ^{in} *fortunae*.

De codice Vindobonensi no. 107.

Medium tertium locum inter integra illa, de quibus modo disputavimus et correcta exemplaria obtinet Vindobonensis no. 107 (no. CXI in Endlicheri cat.), quem cum farragine lectionum congesta nimisque liberaliter aestimata *Antonius Goebel* et vetustissimae et optimae recensionis testem[1]) praedicare ausus erat nil nisi risum et contemptum movit, utpote qui invento suo gaudibundus librumque Vindobonensem unicum crisis Iuvenalianae ducem extollens in singulis lectionibus ponderandis modo recensionem 'Pithoeanam' modo correctos libros secutus esset, foedas corruptelas pro vero vendere studuisset.

1) „*Ueber eine bisher ganz unbeachtet gelassene Wiener Juvenal-Handschrift aus dem X. Jahrhundert als einzige Vertreterin der aeltesten und unverdorbensten Recension Juvenals*“ in actis acad. litt. Vind. a. 1859.

istas quidem ratiunculas qui defendat quamquam nemo exstiterit, cavendum ne iniquius iudicemus de libri illius auctoritate, qui nequaquam ut vulgo putabant ad saeculum decimum, sed sine dubio ad saeculum nonum pertinet, vetustissimis libris Iuvenalianis adnumerandus, aetate ni omnia me fallunt vel codicem Pithoeanum superans. quod minus valere ad auctoritatem codicis augendam iure obicias, adponam autem locos quibus codd. Pithoeanum et Vindobonensem solos conspirare nova collatio ostendit, missis eis, quae iam Goebel enotaverat. exhibet igitur

I 53 *sit capiendi* P, vulgari confusione *sic capiendi* V; I 64 *quadruvio* P V, I 70 *rubeta* P V; I 161 *versum* P, *versu* V; I 170 *legitur* P V.

II 5 *est* omittunt P V, II 6 *vel picta* (*pyta* V) *conemit* P V, II 17 *vultum* P V, II 55 *fusom* P V, II 115 *Quittamen* P V, II 124 *Secmenta*, II 165 *ardentis ese* (*sese* P) P V.

III 16 *electis* P V, III 79 *trax* P V′, III 131 *servo* P V, III 141 *quod possidet* P V, III 322 *Auditor* P V ut etiam *f* et *v*.

IV 51 *Despastum* P V, IV 77 *Pegassus*, IV 123 *vellento* P (prius *l* deletum) *velaento* A, V 38 *berullos* P V, qua cognatione librorum P et V facile adducor ut II 107 ubi in P post *in facie* una lineola recta erasa est scriptum fuisse putem quod hodie legitur in cod. Vindobonensi *in faciet*, deinde III 18 quo loco P tantum prae /// /// /// /// /// exhibet sub rasura latere suspicer quod V rectissime praebet *praestantius*. denique IV 55 originem correcturae in P *Palfurio* /// /// *credimus* ex verbis male distinctis quae V tradit *Palfuriosi* repetam, plura librum Vindobonensem profuturum ratus, si ampliora fragmenta servata essent.

De exemplari Danielino.

Exhaustis iis quae de testibus melioribus rectractanda esse videbantur — nam centonis in codice Sangallensi 870[1]) servati et lemmatum ad glossas Parisinas codicis no. 7730 pertinentium[2]) haud ita magnus est usus[3]) — paucis referam de

1) Cf. Wirzii disputationem Hermae l. c. 2) Cf. *Indicem scholarum aest. univers. Hal. a. 1876. Insunt Glossae in Iuvenalem ed. H. Keil.* 3) Haec dum corrigo iam in lucem prodiit disputatio Stephani diu promissa '*Das prosodische Florilegium der S. Gallener Handschrift no. 870 und sein Werth fuer die Iuvenal-Kritik*' *Mus. Rh. a. 1885 p. 263 ss.* accuratissime quidem egit scriptor de centone, quem olim ex eodem libro descripsi, et non possum non laudare eius miram in notis singulis afferendis dili-

codice quodam Francisci Danielis cuius lectiones transtulit in exemplar editionis Iuvenalis Lut. 1552 nunc Bernae asservatum. excerpsi quidem speciminis causa lectiones tribus primis saturis semper cum nota *Vet.* adpositas atque vel ex his paucis locis cognationem quandam inter librum Danielinum et recensionem 'Pithoeanam' intercedere agnosces. legitur enim vs. I 68 adscriptum I 68 *fecerit,* I 155 *lucebit* (idem praebet P), I 157 *deducit* (idem praebet P), I 166 *turgida,* I 170 *legitur id est colligitur* (idem P), II 1 *glaciale,* II 16 *Peribomius,* II 29 *traico,* II 30 *revocabat* (idem pr. P), II 46 *vinctaeque,* II 68 *Fabulla* (idem pr. P), II 80 *prurigine,* II 90 *cantu,* II 92 *Cotyton,* II 107 *expressum in facie,* II 136 *referre,* II 159 *illic* (idem pr. P), III 5 *successus,* III 11 *constitit,* III 31 *queis,* III 46 *norunt,* III 93 *Dorica,* III 100 *factio,* III 126 *nec nobis,* III 141 *parapside,* III 158 *iuvenemque,* III 246 *lignum,* III 255 *serraco,* III 262 *buccula,* III 283 *striglibus,* III 288 *cognoscite praemia,* III 302 *quis spoliet* (idem exhibet P), III 314 *contemptam.*

De libris interpolatis.

Transeo ad interpolata exemplaria, quorum quam exigua sit fides grammatici periti viderunt omnes. atque Iahn quidem ex ingenti horum codicum numero[1]) felici manu meliores elegit, collationibus vero eorum excepto uno Einsiedlensi (c) quem Iahn fortasse ipse excussit cave ubique fidem habeas. quam miseriam fusius aperire longum est, corrigam tantum, quae gravissima videbantur, dico notas de codicibus in usum vocatis editioni maiori a Iahnio praemissas. primum quidem codex Sangallensis saeculi IX qui Iuvenalis saturas exhibeat non exstat[2]); confudit enim Iahn librum Sang. 871 saec. XI

gentiam; verumtamen de florilegii auctoritate Iahnii apparatu deceptus iusto liberalius iudicavit. nusquam enim florilegii versus meliores lectiones praebent quam P, et quod pag. 280 profert: *Entschieden aber wird die Frage durch die zwei Stellen an denen der Pithoeanus, wie auch die geringeren Handschriften verderbt sind, waehrend unser Florilegium die gute, unverfaelschte Ueberlieferung bietet, die durch die Scholien bestaetigt wird. Es sind dies die Lesarten robumque VIII 155, so F (i. e. florilegium Sangallense) S f g h gegen torrumque in Pω und matellae X 64 (so F S g metellae f) gegen patellae in Pω'* vel ideo futtile est, quia utroque loco P idem exhibet atque florilegii versus. erravit Bertinus labunturque cum eo quicunque eius notis fidem habent. 1) Exstant libri Iuvenalis interpolati in bybliothecis Austriae Germaniae Galliae Helvetiae quos ego numeravi fere centum et viginti. 2) Non igitur codex Sangallensis no. 871 idem est atque codex in catalogo saec. IX

conscriptum qui Iuvenalem exhibet cum scholiorum codice saec. IX no. 870 insignito, quem quidem ad saec. XI refert praef. ed. min. p. 6. codex autem Parisinus 8070 (d) non saec. XII sed saec. X ineuntis est; codex Parisinus 7900 (g) non ad saec. IX sed ad saec. X medium pertinet. antiquissimus vero codicum Iuvenalis, qui Parisiis asservantur, no. 8072, mutilus a Iahnio non in usum vocatus est (idque iure); neque id praeterire volumus codicem Thuaneum (f. no. 8071) qui inter libros interpolatos plurima bonae recensionis vestigia servavit truncatum esse ab initio, omitti in eo satt. I. II. III — 317, id quod Iahn non adnotavit, verum respiciendum est in codicis auctoritate aestimanda. denique notitiam afferam fragmenti cuiusdam saturarum Parisini nuperrime ex teguminibus alius codicis resoluti; de quibus schedis, cum omnino quod sciam nemo rettulerit nonnulla in medium proferre proderit. asservatur hodie fragmentum in libro miscellaneo nota Nouv. acq. lat. 2199 insignito[1]); duo sunt folia inter se cohaerentia quorum prius (0,19 m longum, 0,1 m latum) rectum sat. XII 64—107 usque ad '*solebant*' praebet, imis sex versibus abscisis, cum folium versum inde a versu sat. XII 114 incipiat; leguntur autem in hac altera pagina versus usque ad XIII 26; alterius folii dimidium abscisum est, conscripti sunt in eo vss. XV 62—106 et XV 113—177; exarati erant in paginis singulis versus quinquageni singuli, intersunt inter vs. XIII 26 et XV 62 versus $615 = (51 \times 12) \pm 3$, exciderunt igitur tria bina folia cum foliis servatis unum quaternionem efficientia. pertinent autem fragmenta saec. XIII conscripta sine dubio ad recensionem deteriorem, quod ex specimine collationis cum editione Iahniana maiore statim cognosces; praebent enim

XII 64 *benina* (corr. altera manus), 68 *extensis,* 71 *novec ali* (corr. a. m.), *latino,* 72 *sulimis,* 73 *Sphar*^{co}, 74 *nonquam insis,* 76 *Tyrrenam praram* corr. ead. m., *poiecta* —

commemoratus (cf. *Becker, catalogi antiqui* p. 34 no. 314) qui si aetatem tulisset haberemus quod nobis gratularemur: nam aut non recte vulgo codicem Sang. 870 antiqua scholia tenentem ex illo descriptum putant aut liber deperditus plane ad eandem recensionem pertinuit atque Pithoeanus. 1) Cf. *Delisle Mélanges de Paléographie et de Bibliographie Paris, Champion libraire 1880* p. 426. Delislio vero fragmentum nondum innotuerat.

rursus, 78 *Ytaliam,* 80 *cimbe,* 81 *tum stagnante sinu gaudent* *ú* (= ubi), *raro,* 82 *garula — narare,* 82 *molles,* 89 *placebo* (corr. a. m.), 90 *viole,* 93 *ne suspecta,* 97 *coturnis,* 98 *calores,* 99 *Paccius,* 101 *ecatumbem,* 102 *elefantes,* 103 *Lacio haut,* 104 *fulva — petitur* (corr. a. m.), 106 *servire* (pro *parere*).

Sed haec de libris interpolatis dicta sufficiant. Fragmenta quidem antiquissima Vaticana me inspicere non potuisse moleste fero, accuratissime autem una cum scholiis adspersis ex apographo *Loewii* pertractata sunt a *Georgio Goetz* (Ind. schol. Ien. a. 1884). his schedis perpauca nos lucrari ad textum restituendum dudum cognitum est, summi vero momenti sunt in historia textus cognoscenda, ad quam non nulla conferre nunc iam in animo est.

II.

Symbolam ad textus Iuvenaliani historiam collaturo mihi recte fortasse proficiscendum esset a duplici saturarum recensione, quam ab ipso poeta institutam esse et veteres et recentiores interpretes affirmaverunt.[1]) quae quidem suspicio cum facile moveri potest in saturis et sermonibus omnibus, quasi ultro sese offerre videtur in saturis Iuvenalis, ut periti quoque grammatici retractationem earundem angustis finibus circumscriptam concesserint.[2]) nam etiamsi suam cuiusque de singulis locis persuasionem aut adeo temerariae crisis commenta missa fecerimus, restat interpretis illud testimonium ex antiquissimis ut vulgo putant temporibus repetitum, quod cum de suo vix addere posset pro certo accipias aut aliquo modo explices necesse est: cuius explicationis viam indagasse mihi videor, patet autem quaestio latius quam quae commode hisce pagellis expediatur cohaeretque artissime cum scholiorum meliorum aetate et memoria, in qua exploranda genus dicendi accurate indagatum et constitutum unum certum firmumque adminiculum adhuc ab omnibus neglectum atque alia quae huic rei inserviunt tractabo in parergis propediem edendis.

Alia est causa versuum spuriorum quos intrusos esse vel meliorum librorum indicia et ipsa textus memoria probant. nam ut quaestiones de singulis locis mittamus, lectitatum fuisse Iuvenalem cum illud Ammiani Marcellini XXVIII 4, 14 *quidam detestantes ut venena doctrinas Iuvenalem et Marium Maximum curatiore studio legunt nulla volumina praeter haec in profundo otio contrectantes; quam ob causam non iudicioli est nostri,* tum grammaticorum aliorumque scriptorum testimonia aperiunt, quae minus diligenter a Iahnio collecta nunc fere plene etiam ex temporibus mediae et infimae lati-

---

1) Cf. vitam IV ap. Iahnium '*in exilio ampliavit satyras et pleraque mutavit.*' vitamque a Ribbeckio compositam ed. p. VI sq.
2) Cf. vero *Schoenaich, Quaestion. Iuv.* (Hal. Sax. 1883) pp. 12—28.

uitatis una cum vitae testimoniis[1]) in uberrimis suis commentariis contulit *Ioannes Mayor* (Thirteen satires of Iuvenal London 1882/3 II p. XI ss.); quos locos cunctos hic repetere vel ideo superfluum esse iudicavi, quoniam testimonia paene omnia ad interpolatam recensionem redire constat. verum ut illud Marellinianum locusque Rutili Claudi Namatiani vulgatissimus[2]) ita verba ab Hieronymo Augustino Servio Maximo Victorino Aegrocio Lactantio ex saturis allata imprimis saeculo p. Chr. n. quarto et ineunte quinto Iuvenalem notum fuisse et placuisse[3]) demonstrant acceduntque testes gravissimi Mayoro quoque ignoti Ausonius auctorque Queroli fabulae, quorum priorem versus Iuvenalianos imitando expressisse ex praestanti indice Schenkeliano apparet, alteri Iuvenalem cognitum fuisse adhuc minus constabat, certis vero indiciis probasse mihi videtur Ernestus Muellenbach, sodalis coniunctissimus.[4]) Eodem

1) Accessit nuper titulus de quo mihi notitiam tantum annalibus '*Revue de philologie*' allatam esse aegre fero: legitur enim ibi (1884. p. 219) '*Bulletin mensuel de la Faculté de lettres de Poitiers 1883 Mai, Note pour servir à une biographie de Iuvénal [Hild]. L'auteur montre que l'on parle beaucoup de Iuvénal et qu'on ne le connaît guère s'appuyant sur une inscription recueillie par Mommsen mais peu remarquée, il établit que Iuvénal était riche et comblé d'honneurs; il discute des points importants et relève des erreurs*', praeterea quoque nota Landolfi Sagacis (additamentum ad Pauli historiam Romanam ed. Droysen Mon. Germ. II 302, 38): *huius temporis pollebant Romae poete Lucanus satirici Iuvenalis et Persius Senecasque* (?) *tragicus Musonius atque Plutarchus philosophi.* 2) I 603 sq.

Huius vulnificis satura ludente Camenis
nec Turnus potior nec Iuvenalis erit.

3) Dracontianam Iuvenalis imitationem docuit Buecheler Mus. Rh. XXVIII p. 349 (I 85 in satisfactione 15; III 213 in laudibus dei III 376; X 356 ibidem III 673). — Cf. etiam Ennodii praef. carm. I, 7 (pag. 524, 10 ed. Hartelii) '*ad Camenalem tamen ignominiam, quibus numquam Gluvidenus deest versus adieci et periturae ut dictum est cartae non peperei*' cum Iuv. sat. I 18 et 80 de qua imitatione vide quae Ribbeck disputavit Mus. Rh. XXXIX 315. 4) In opusculo nondum prelo commisso, cui inscriptum est '*Queroli fabula quando et ubi scripta sit.*' minus quidem valent exempla vulgo prolata quae cum versibus Iuvenalis conferantur velut Quer. 13. 13 (ed. Peiper) *illud prorsus non fero quod temeritati nemo ignoscit neque cuiquam ut aliquem dicat pauperem,* Iuv. III 152 *nil habet infelix paupertas durius in se, Quam quod ridiculos homines facit.* vel Quer. 32, 14 *Digitos ad praedam exacuunt curvis timendos unguibus* et Iuv. VIII 129 sq. *et cuncta per oppida curvis unguibus ire parat.* iam melius adfertur Quer. 45, 4 *plus est hoc quam hominem perdidisse damnum vero plangitur* ad Iuv. XIII 130 sq. *maiore tumultu Planguntur nummi quam funera* et vs. 134 *ploratur lacrimis amissa pecunia veris.* optime autem quod Muellenbach invenit Quer. 3920 *Nocte balneas adimus* cadit in Iuv. VI 419 *balnea nocte subit.* 1) Exhibent enim duo codices bybliothecarum Mediceae (34, 42) et Leidensis (82) uterque saeculi XI subscriptionem alter in fine quintae sextae saturae alter LEGJEGONICEVS AIUD M. SERBIŨ ROME. ET. ẼMDAVI. 2) Meletematum Vindobonensium VII fasc. 2.

fere tempore, dico saeculo quarto exeunte maximam eamque probatissimam veterum scholiorum partem compositam esse inter omnes convenit neque alia aetate iam recensionem quam 'Nicaeanam' vocant[1]) vulgatam fuisse cum grammaticorum testimonia tum antiquissima fragmenta Bobiensia plane ad eam recensionem pertinentia demonstrant. sed correctis exemplaribus nunc quidem missis quid de bona memoria statuendum sit videamus; qua in re summi momenti esse scholia vetera statim intelleges.

Quid ex scholiorum investigatione ad textus historiam cognoscendam redundet quaeritur.

Eorum enim corpus quod libri manu scripti omnes fidelissime conspirantes exhibent integrum aetatem non tulisse, sed si non ex pluribus tamen ex duabus partibus conflatum esse vel obiter illud perscrutantem fugere nequit: variae de eadem re sententiae aut adeo explicationes paene inter sese pugnantes (cf. I 6, II 27, 92 alios locos) antiqua illa scholia non prorsus quidem retractata et immutata, at temporum decursu aucta esse interpolataque demonstrant. neque aliter statuendum est de lemmatum fatis, quae haud paucis locis ineptissime praefixa aut non indicant quae indicatum iri exspectamus aut ad antecedentes vel insequentes glossas pertinent ubique fere ridiculo modo electa sunt; quam rem alibi fusius tractatam[2]) hic tetigisse sufficiat, adnotemus ea tantum, quae textus historiae cognoscendae inserviant. antiquissimas autem lectiones iure eas habeamus oportet quae ex sola scholiorum interpretatione captae vulgo littera ≤ significantur, diversas eas non uno loco a lemmatibus hodie praefixis, cum interpretatio scholiastae aut ad aliam lectionem pertineat quam in lemmate vel in codicibus invenitur aut aperte in ea de variis eiusdem loci scripturis in scholio referatur. discrimen vero quod inter eas lectiones et lemmata nunc praeposita intercedit nullo loco melius cognoscas quam VII 23, ubi prior eaque vetustior interpretatio '*membrana inplentur, quae croccam tabellam habebant, id est, paginam*', textum germanum *croceae membrana*

tabellae prodit, altera explicatio '*videtur quod quae in tabulis scripta sunt in croceam dicat transferri membranam*' sine dubio postea adnexa verbis in libro Pithoeano traditis *crocea membrana tabellae* ineptissime inhaeret, digna quae omnibus numeris explodatur. atque illa scholia antiquiora quominus cum Cramero Iahnio Matthia aliis ad saeculum quartum ut diximus referantur nihil impedire videtur: indiciis a Matthia collectis addas III 267 *et nunc apud Athenienses mortuis solent in ore nummos inserere ut apud inferos non tamquam inopes errent,* et XIV 102 *VOLVMINE MOYSES sacerdos vel rex eius gentis aut ipsius quidem religionis inventor cuius Cornelius etiam Tacitus meminit,* qui locus non solum paganum fuisse interpretem sed etiam id quod antea diximus aperte docet, scholia medio aevo aucta quidem, non retractata esse, utpote quo loco interpretes recentioris aetatis facillime doctrinam suam nobis vendere potuerint. et quod ex his indiciis coicias commentarium vetustum quem postea paululum ditatum esse affirmavimus inde ab illo tempore usque ad saeculum nonum quo librorum nostrorum memoria incipit integrum et intactum mansisse ideoque etiam additamenta illa vetustatem quandam sapere, firmatur et probatur etiam rationibus ex arte palaeographica repetitis.

Etenim scholia bona semper cum meliore recensione versuum coniuncta fuisse iam docuit Hermann[1]), accesserunt huius iudicii adiumenta gravissima, imprimis schedae Aroviensis nuper repertae. neque praeteriit viros doctos lemmata scholiorum iis quoque locis mirum in modum cum textu Pithoeano concinere quibus verba aperte corrupta sunt; quod vero inde sequi putavit Matthias (p. 31) '*ut librarius qui Pithoeanum una cum scholiis ex alio codice descripsit lemmata non ita ut in huius margine erant in P transtulerit sed ex Pithoeani quem modo scripserat textu sumpserit*' rem plane secus se habere vel ideo facile cognoscitur quod codex Sangallensis qui scholia sola exhibet eadem vitia lemmatum praebet, iisdem laborant fragmentorum Aroviensium et versus et scholia quae exemplaria nullo pacto ex Pithoeano fluxisse supra declaratum est. quocirca verba male in versibus conscripta et lemmatum lectiones ex eis desumptae ad communem librorum P, Sg, A

1) Schediasma de scholiorum in Iuvenalem genere deteriore ind. schol. aest. Gott. 1849. p. 7 s.

fontem (X) referenda sunt quem qualis fuerit indiciis admodum probabilibus cognoscere licet; in qua quaestione pro rei gravitate aliquamdiu commorari e re duximus.

Codicibus archetypis X, Y qualis natura fuerit.

Ac primum quidem si omnino ex multitudine exemplorum congesta aliquid certi demonstrari potest, demonstratur librum X exaratum fuisse scriptura continua ex qua re sola errores frequentissimos explices, qui verbis et in P et in A male distinctis continentur quorumque in tabulae propositae unoquoque colo exempla invenies; quo indicio solo cum iam ad exemplar vetustum referamur, accedunt argumenta alia quibus recte perpensis etiam scriptura codicis X ipsa facili negotio cognoscatur. iam supra congesta sunt exempla satis multa quibus litteras *l* et *t*, *l* et *i*, *t* et *i*, *c* et *g* saepissime inter se mutatas esse docuimus, quae confusio ex sola scriptura unciali repetenda est.[1]) adde V et U confusum (V 158 *gyla* P), O et G (IV 93 *ignium* P) R et P[2]) (IV 43 *torpentis* P, scholia ex eodem fonte deducta recte *torrentis*, XI 208 *parior* SP recte *rarior*). quod quidem in P omnia plene exscripta invenimus, nullis compendiis ne virgula quidem *m* vel *n* significante admissis haec ipsa res eodem modo exemplar archetypum compendiis fere omnibus caruisse demonstrat, exceptis notis quae ne a vetustissimis quidem libris absunt veluti, *b/* = *bus*, praeterea quod iam saeculo sexto usurpabatur *ẽ* = *est*. (cf. XV 112 *Rhetor & hyle*, error et in P et in S repetitus, I 38 *non tib/* P pro *noctibus*, II 92 *soliti /// /// /// aptae* P *SOLITIBVS APTAE* puncto in codice archetypo male intruso, III 304 *fixa catenata ẽ* Schol. pro fixa CATENATAESI|LVIT, VI 147 *gravis ẽ* A (*eſt* pro *eſ*) — in summa rationibus palaeographicis iterum iterumque perpensis iamiam nil magis ex illis consentaneum esse profitear quam exemplaria P A Sg deducta esse ex archetypo saeculo sexto haud multo inferiori, simili illo Livii codicibus Vindobonensi, Puteano vel Gaii libro Veronensi (Zangemeister et Wattenbach tab. XVIII, XIX, XXIV).[3])

Ad scholia ut redeam uti lemmata vel in ineptissimis

1) Cf. ut alia exempla praetereamus Livii cod. Vindob. in Zangemeisteri et Wattenbachi Exemplis codicum litt. mai. scriptorum, tab. 18 NIIES lin. 1, CUITU lin 2. 2) Ut in Gai cod. Veronensi cf. imagines a Studemundio et in 'Exemplis' repraesentata. 3) Ad eundem finem pervenit Iahn in archetypi Persiani scriptura constituenda cf. praef. ed. Pers. maioris p. CLXXXII not.

erroribus cum textu Pithoeano conspirare cognovimus ita iam in archetypo illo X ea puerili atque inepto modo conscripta scholiisque praefixa esse natura rerum atque totius memoriae ratio arguit. quocum bene convenit, quod haud paucos optimae notae libros eodem quo X exaratum fuisse duximus tempore scholiis instructos invenimus, velut ipsa Iuvenalis fragmenta antiquissima Bobiensia, quorum glossas saeculo sexto vel septimo Zangemeister attribuit; nec non exemplorum in tabulis IV. X. XXI depictorum scholia ad saec. VI referuntur. quid quod scholiorum ope memoriam textus Iuvenaliani vel ultra hoc archetypon persequi licet? consensus enim librorum P et A et Sg saepius a nobis praedicatus etiam usque ad ordinem singulorum scholiorum perversissime immutatum redit, cuius confusionis causa atque origo cum neque ad antiquum neque ad recentiorem interpretem pertinere possit ex altero archetypo libro X etiam antiquiore repetenda est. en vestigia alia quae eadem scholia nobis aperiunt: iam illud vetustius archetypon (Y) 'variis' quas vocamus lectionibus instructum erat: legitur enim II 138 *in valle colle Quirini* et in textu cod. Pith. et in scholiorum lemmatibus, exhibebat sine dubio hanc interpolationem iam X: scriptum erat igitur in Y

colle
in valle Quirini,

descendit lectio adscripta in X iam ad versum ipsum, pervulgatus est error in P et S. similem labem P traxisse puto X 189 ubi *hoc alto recto vultu* praebet et X 221 ubi ad *uno* librarius addidit *tutor,* quam voculam glossam ad *Hirrus* (vs. 122) esse Iahn perspexit. utroque vero loco scholiorum testimonium deest, qua de causa num error ad X an ad Y referendus sit incertus haeres.

Plana atque aperta esse puto quae ad bonae recensionis historiam cognoscendam scholiorum imprimis adminiculo indagare licuit, si quid omnino planum apertumque esse potest nobis textus fila et progressum in tantis tenebris veluti per transennam aspicientibus. sed apte sese excipere nobis concedas initia illa memoriae scripturis ≤ saeculi quarti repraesentata una cum lectionibus in additamentis scholiorum exhibita, ex altera parte textus vestigia inde a saeculo nono usque ad saeculum sextum et quae antecesserant tempora inventa et promota. de reliquis quidem textus fatis prodigiosis quae detexisse sibi visa sunt, concocta ea magis in hominum labo-

riosorum umbraculis quam ex textus accurata cognitione repetita, ignorantiam profiteri quam hariolari satius duxi; non autem possum non tangere quaestionem de saturae sextae decimae natura atque condicione varie a variis interpretibus tractatam, neque tamen ut opinor ad finem perductam.

De saturae sextae decimae condicione.

Atque id quidem notissimum est, adesse testimonia quae Iuvenalem quinque libros scripsisse affirment quorum ex novissimo citant '*quodsi subeuntur prospera castra*' Priscianus, '*et Samia genetrix quae delectatur harena*', '*exspectandus erit qui lites inchoet annus*' Servius, saturae sextae decimae versus 2, 6, 42, quam saturam ipsius poetae stilum sapere omnes recentiores interpretes concesserant, abiecto illo scholiastae '*Ista a plerisque exploditur et dicitur non esse Iuvenalis*'. imperfectum esse carmen cum exiguus ambitus tum tota dispositio arguit versusque septimus ad quem cum scite adnotavit Weidner '*Zuerst soll von den allgemeinen Vortheilen, d. h. welche Offiziere und Gemeine gemeinsam haben, gesprochen werden. Die Satire bricht aber ploetzlich ab ohne ein Wort von den besonderen Vortheilen der Offiziere oder der Gemeinen mitzutheilen. Es ist also aus der Disposition unzweifelhaft, dass die Satire nur Fragment ist, mag sie nun als solches vom Dichter hinterlassen oder erst im Laufe der Zeit ein Theil verloren gegangen sein*', minus recte pergit: *Das Erstere ist wahrscheinlich, weil schon die Verfasser der Scholien nicht mehr kannten als uns ueberliefert ist;* nam si vere foliis quibusdam codicis archetypi interceptis versus saturae sextae decimae reliquos periisse statuunt, fieri non potuit quin una perirent scholia adpicta; sed tota res mihi aliter se habere videtur. exceptis enim scholiis ad versus VII 129—158 de quibus statim verba faciam commentariorum corpus nusquam interrumpitur, explicavit interpres ut visum est modo partis cuiusdam versus omnes (cf. schol. ad VI 94—106, 143—156) modo transiit versiculos duos tresve, haud ita saepe plures. in sexta decima vero satura numerum scholiorum rarescere, ipsa vel maxime tenuia et exilia fieri primus docet obtutus: implent glossae ad XVI 1—60 paginam editionis Iahnianae unam, ad XV 1—60 paginas tres, quindecim versus novissimi sat. XVI omnino explicationibus carent, cum glossa ad vs. 52 a Iahnio exhibita non ad antiquum commentariorum corpus pertineat. quae cum ita sint, iam quid de scholiastae opera statuendum sit dubium esse nequit: interpretandi offi-

cium non ad finem exsecutus in versu XVI 45 substitit, sive quod taedio operis captus fuit sive explicationum fontes defecerunt; cui rei nescio an scholion '*Ista a plerisque exploditur . . .*' etqsq. originem debeat, cum quae ipse explicare aut noluit aut non potuit omnino explicatione indigna esse et sibi et aliis persuadere studuerit. neque probus iste grammaticus quem vanas atque ridiculas explicationes fere captare videmus omisisse putandus est quod opinioni suae firmandae vel optime inservire potuit, exiguum dico saturae 'spuriae' ambitum. qua ratione cum unum argumentum quod contra auctoritatem fragmenti servati facere videbatur facile removes, succrevit causa externa qua qui factum sit ut satura truncaretur explices, cum fragmentum illud iam a poeta vel ab amicis imperfectum editum esse nullam probabilitatis speciem habeat. haud temere vero coicias in codice nescio quo folia novissima scholiis carentia rescissa esse ab iis quae glossis instructa erant, opera hominis ignari litterarumque rudis. quae res utut se habet, casu aliquo folia ultima codicis archetypi intercidisse pro certo ponas, cui sententiae sese adiunxerunt qui nuper rem tetigere Ribbeck Buecheler, hic quidem ingeniosa coniectura casum non carere ratione ostendere conatus (Mus. Rhen. XXIX 636). proficiscitur enim a lacuna illa quam medio fere corpori scholiorum inesse diximus: *casu aliquo* ait *Iahnius ea in communi archetypo intercepta existimavit, ego librorum naturae non video quid sit magis consentaneum, quam totum interiisse folium. tricenum igitur versuum foliis archetypum compositum fuisse puto. iam numera inde a VII 159, ut qui primus fuerit in aliquo folio, versus saturarum reliquos, adice singulos praepositos saturis aliamque ab alia discernentes, praeterea duos quibus quarti libri et quinti exordia indicantur, neve unum illum neglexeris post IX 134 sublatum ab editoribus sed antiquitus traditum et summam cognosces fieri versuum 2040 folia implentium 68 sine ulla deductione aut accessione. itaque qui hodie saturis finem facit versus idem extremus fuit in archetypi folio, nec plures ad nos pervenerunt ideo quod sequentia codicis folia aut unum saltem perierant.* verumenimvero huic speciosae coniecturae atque primo obtutu per se probabili plausum me non dare ingenue fateor. quid? descripsit librarius saturas et scholia usque ad VII 129, sequens folium aut omisit aut intercidisse in codice archetypo non sensit: errore vero cognito ex alio exemplari

bonae recensionis supplevit versus, non supplevit scholia quae semper cum exemplaribus bonae recensionis coniuncta fuisse et universae memoriae condicio testatur et libri servati. quam rationem ipsam difficultatibus non carere facile perspicis; neque quid de foliis novissimis exemplaris extremos saturae XVI versus tenentibus statuamus apertum fit. quae si in illo codice abrepta erant, cur non librarius ex alio libro descripsit ut versus VII 129—158 restituit? sin etiam ceteros libros iam tum truncatos fuisse putaveris, totam labem ad antiquius exemplar referas cadatque necesse est ratio inter scholia nescio quo casu omissa et numerum versuum inde a VII 159 sequentium constituta. accedit quod ne calculi quidem a Buechelero subducti cum ambitu versuum et subscriptionum congruunt. nam ut exemplo codicis Pithoeani accurate et diligenter conscripti utamur, versus inde a VII 158 usque ad XVI 60 non secundum Buecheleri computationem 2040, sed cum inscriptiones satis prolixae plus unius versus spatium exigant 2045 cola explent.

Circumspicientibus nobis ubi tuto pedem ponamus e re visum est ab exemplaribus coniectura effictis redire ad libros nobis servatos atque prae ceteris respicere quem crisis Iuvenalianae quasi cardinem praedicavimus, librum Pithoeanum, praesertim cum in hac quoque quaestione aliquid lucis ex eo redundaturum iure speraveris. atque iam supra actum est de singulis quaternionibus quorum novissimum folia 72—79 complecti diximus folio 80 postea adsuto. nondum vero praedicavi id quod monitu vel maxime dignum est, novissimum omnium saturarum versum XVI 60 legi in extremo colo paginae ultimae, in fine quaternionis decimi, ergo in fine totius libri antiqui. cuius ambitum fortasse numero versuum qui conscribendi erant accurate accomodatum esse suspiceris, verum versus erasi, postea adiecti, alia indicia librarium huius rei nullam rationem habuisse ostendunt. id autem quod ex hac libri novissimique quaternionis natura concludas alios quoque, aut saltem alium exstitisse quaternionem in quo saturae sextae decimae argumentum propagatum fuerit nulla re melius probatur quam folii 80 condicione quod folium fere centum annis post adnexum esse constat: quare cum tegumina recentioris aetatis sint probabile fit solutos fuisse quaterniones, amissam esse libri ultimam partem scholiis carentem. summi vero momenti in hac re disceptanda videtur,

quod in extremo codice nulla omnino finis nota invenitur, cum contra librorum singulorum et initia et exordia accurate indicata sint; inscriptiones autem partem male a Iahnio relatae sunt haec:

Fol. 30[b] IUN. IUU. SATURARUM LIBER I EXPLICIT INCIPIT LIBER II FELICITER.

Fol. 41[b] in imo margine IUNI IUUENALIS SATURARUM LIBER II EXPLICIT.

Fol. 42[a] INCIPIT LIBER TERTIUS FELICITER DE STERITATE STUDIORUM.

Fol. 53[b] IUNI IUVENALIS SATURARUM LIBER TERTIUS EXPLICIT JNCIPIT LIBER QUARTUS SATURARUM FELICITER SATURARUM DE UOTIS CONTRARIIS.

Fol. 65[b] IUNI IUUENALIS SATURARUM LIBER IIII EXPLICIT INCIPIT LIBER QVINTVS SATURARUM.

Fol. 79[v] subscriptio prorsus deest, quamquam librarius eam facile infra colon novissimum — ut fol. 41[b] — addere potuit. accedit quod ex codicibus antiquis nullus subscriptionem praebet[1]), codicum vero libro Pithoeano vetustiorum fragmenta tantum adsunt, Vaticana, Vindobonensia.[2])

Quae ratio inter P et ceteros libros intercedat.

Quae omnia si recte disputata sunt, quid ex insigni hac libri Pithoeani condicione ad reliquorum librorum auctoritatem totiusque textus Iuvenaliani fontes redundet in propatulo est: praeter illa fragmenta libro Pithoeano antiquiora ad unum omnes a Pithoei exemplari pendent multoque magis ideo probari liceat quae Weidner de rationibus emendationis Iuvenalianae statuit (praef. ed. p. 25) '. . . *Als man aber in dem Pithoeanus die ursprüngliche Quelle fand, mit welcher sich alle Lesarten auch der schlechtesten Hand-*

1) Etiam libri Iuvenalis duo Cantabrigienses ad saeculum nonum pertinentes (0, 4. 10, 0, 4. 11) de quibus rettulit Henricus Schenkl Melet. Vind. III 313 sq. subscriptione carent. 2) Nolo tamen omittere quod contra coniecturam meam modo propositam facere possit. cum enim uniuscuiusque folii versi margine supero legatur inscriptio IVVENALIS, respondeat huic ex altera parte (folio insequenti recto) LIBER PRIMUS (SECVNDVS etc.) in novissimo folio verso IVVENALIS LIBER QVINTVS plene exscriptum est. quae res ut casui originem debere potest, non solvit difficultatem cur librarius qui tam diligenter ceterorum librorum exordia indicavit hoc loco vel unam voculam EXPLICIT omiserit, neque refellit quam supra statuimus huius novissimi folii insignem condicionem.

schriften leicht erklaeren lassen suchte zunaechst die Kritik die erste Hand dieses Codex herzustellen' etqsq.

Verumtamen res non ita plana atque simplex est, ut primo obtutu esse videtur neque desunt quibus rationes modo expositae in dubium vocentur vel labefactentur. iure quidem hodie codicem illum pretiosissimum totius memoriae Iuvenalianae fontem ac fundamentum habeas, qui cum bonae recensionis vestigia servarit plura quam ceteri libri, interpolatae quoque recensionis notas traxit plerasque ab altera manu innumeris locis correctus. sed hae interpolationes intrusae sunt saeculo decimo, exstant vero integra exempla deterioris classis quae ipsa etsi codice Pithoeano non vetustiora tamen illo haud multo recentiora sunt, servantia ea non solum lectiones admodum probabiles, verum etiam versus quos in illo libro manus prima omisit, genuinos esse stilus poetae et sententiarum conexus clamat. ergo difficilis satisque intricata est huius rei enodatio cuius una via restat quam falli non videor si hoc fere modo interpretor.

Iuvenalem enim inde a saeculo nono lectitatum saepissimeque descriptum esse cum alia indicia probant tum ipsi libri testes sunt Vindobonensis Pithoeanus, Parisini duo, Cantabrigienses, alii, accedunt libri deperditi Sangallensis D. n. 306 (Becker catologi antiqui p. 35 no. 314) codex bybliothecae cuiusdam Francogallicae (Becker p. 41)[1]) quos libros Pithoeano similes fuisse probabile est, nec non codex Otaviensis (ibid. p. 64, 4), praeterea sine dubio alii catalogis saec. X exhibiti. neque minorem curam saturis Iuvenalis explicandis impensam esse et vetera scholia illo tempore vulgata et deterius commentariorum genus ostendit, cuius originem ad eandem aetatem referimus. sed ex omnibus libris illo tempore confectis tam paucos ex codice melioris classis haustos eosque quoad scimus omnes correctos esse non est quod miremur, quandoquidem libri ex vetusto illo exemplari deducti male distincti lectu impediti lectionibus minus planis referti posthabebantur exemplaribus quae omnibus his 'vitiis' correctorum opera liberati erant. quodsi igitur alium codicem ex Pithoeano mutilato

1) Fortasse Vallae exemplar, vel cum eo aliqua ratione cohaerens, quoniam ut librorum divisio ostendit ad meliorem classem pertinebat scholiisque eum instructum fuisse probabile est: atque Vallae commentarii vix tertii libri saturam secundam attigerunt. (Cf. Iahn. ed. min. p. 6.)

quidem, sed nondum correcto saeculo nono descriptum esse statuimus paulo post eum correctore usum fuisse coicere licet, ut liber Pithoei correctus est saeculo decimo eodemque tempore schedae Arovienses. atque talem codicem ex Pithoeano deductum et ad alteram classem saec. IX correctum omnium librorum quos quidem novimus praeter schedas Vaticanas Vindobonenses librum Aroviensem olim integrum fontem fuisse a veri specie non abhorret, praesertim cum codices Iuvenalis totum corpus saturarum tenentes ad finem saeculi noni referri debeant omnes.[1]) sin saturarum copore tam sero truncato nullam memoriam novissimae eius partis ex prioribus temporibus ad nos pervenisse mireris: inter testimonia grammaticorum incerta cum verba tantum, non auctores citent, inter glossas scholia dispersa etiam ex saturae sextae decimae extrema parte aliquid reconditum esse quis negare audeat?

Meram coniecturam esse quae modo proposui labique uno libro saeculi octavi vel noni ineuntis qui saturas usque ad XVI 60 exhibeat reperto ego hercle non ignoro; sed nolui supprimere ea quae quo diutius rem mecum volutavi eo probabiliora visa sunt atque universae rerum naturae respondentia, utpote quae fulciantur toto qui hodie nobis praesto est apparatu critico congesto et examinato; quem ut uno oculorum obtutu comprehendere singulos memoriae rivulos codicumque cognationes cognoscere possis stemmatis utar artificio, quod ad opinionem meam declarandam proxima pagina (51) delineandum curavi.

Quam tabulam ut iam accuratius explicem de libro Z universae memoriae fonte hoc unum pro certo pronuntiari potest exhibuisse eum integras saturas Iuvenalis in quinque libros divisas et si apographo r memoriaeque per V et X propagatae fidem habes etiam Persii 'THEBAIDORVM SATVRAM'. haud ita multo post codice aliquo intercedente ex eo deducti sunt r (fragmenta Vaticana), codex 'Nicaei' grammaticorumque libri. cum scholiis Bobiensibus fragmentis Vaticanis adscriptis cognatione quadam cohaerere puto saturam glossarum quae in codice Vindobonensi olim Bobiensi saec. VIII/IX invenitur.[2]) ex codice vel codicibus ς interpolata recensio cum in alios libros tum in archetypon fragmentorum Vindobonensium, in A

1) Etiam codices Cantabrigienses 0, 4. 10; 0, 4. 11 (cf. supra p. 48 not. 1) ad saeculi noni finem esse referendos pro certo mihi affirmat Henricus Schenkl. 2) Cf. Endlicher und Eichenfeld anal. gramm.

et P (saec. X) denique in X_1 (saec. IX) propagata est. ex altera parte lectiones ϟ quae ad bonam classem pertinentes a recensione Pithoeana aliquantum differunt proprium locum obtinere volui; sed haud dissimili sine dubio rivulo deductum



erat exemplar Y quod iam scholiis et variis lectionibus instructum fuisse supra dixi; manavit ex Y saeculo VI vel VII codex X cuius naturam qualis fuerit ostendimus pag. 43; ex quo descripti sunt P, A, cod. Vallae scholiis instructus, Sangallensis deperditus D. 476, cuius scholia servata esse vulgo putant in cod. Sang. 870, denique alio libro interposito schedae

Vindobonenses. saec. IX ineuntis, sed ita, ut lectionibus interpolatae classis accedentibus mixtum quoddam genus repraesentent. ex P vero iam decurtato fluxit X_1, qui ipse lectionibus deterioris classis intrusis ceterorum librorum fons est habendus. in quo libro lectiones alterius classis vel supra scriptas vel in margine adpictas fuisse probabile est; quomodo vero inde interpolatio grassata sit libri ipsi sunt testes: magis sinceri et ad mixtum genus propius accedentes sunt libri a Iahnio in usum vocati, fuerant sine dubio exemplar Danielis, codex Vallae, liber ex quo lemmata glossarum a Keilio editarum hausta sunt. iamiam omnibus interpolationis vitiis scatet longa series librorum deteriorum, qui innumeris exemplis vulgati magis magisque ab illo fonte X_1 distant.

Quodsi igitur rivulis ex altera classe in alteram deductis hic illic forte fortuna fieri potuit ut ex interpolatis libris aliquid veri in illud exemplar X_1 sive in alium quemcunque codicum deteriorum statuere vis fontem transferretur, minus recta traderentur a Pithoeano, huius ipsius codicis librarium ex vetusto integro optimo exemplari textum hausisse, fidelissime atque adeo ut vidimus paene pueriliter memoriam servasse, nihil de suo addidisse constat. qua de causa si iudicium nostrum paucis comprehendimus, rationes emendationis Iuvenalianae Hermanni Iahnii arte constitutae, nuper Vahleni potissimum ingenio praeclare defensae eo magis firmare licuit quo plenior facta est nostra codicum cognitio et verior existimatio: ut non impune nec sine magno crisis Iuvenalianae damno discedatur a via et disciplina omni ex parte stabilita. sed potius ut Ritscheliano illo utar incipiamus a credendo qua via sola in quavis arte proficitur: credamus aliquantum tribui posse memoriae quae tam alte repetitur ut prima eaque haud exigua eius vestigia ne duorum quidem saeculorum spatio distent ab ipso poeta, cui nulla re melius nos prodesse credo quam si illius felicis hereditatis memores et a textus verecundia progressi studiose intellegendo religiose conservando caute dubitando rem pro sua quisque parte promovemus.

III.

Facilis inventio, non facilis electio.
Plin. ep. VI, 27.

De lectionibus singulis eligendis.

Disserui de externa codicum Iuvenalianorum condicione eorum indole mutuisque rationibus: progrediendum est ad textum ipsum ut quae ad emendationem ex tot collationibus redundent videamus. atque ex ingenti numero lectionum quae in Iahnii apparatu non recte exhibitae sunt eos locos tantum eligere visum est, quibus quae de optimis testibus referuntur erroribus intricata sunt, praesertim ubi lectiones codicis Pithoeani male exscriptas inveni, de quo ut quam plenissime testarer praecipuam meam curam versatam esse supra professus sum. sed in his locis enarrandis quamquam bonis aliorum inventis libenter fruor, si coniecturas a viris doctis prolatas non omnes attigi aut singillatim tractavi[1]) noli adrogantiae vertere quod memoriae auctoritati me debere duxi lectione vera prolata explicata officio me suffecisse ratus. delectum vero lectionum probabilium[2]) ita institui ut primum de quaestionibus orthographicis deinde de lectionibus adhuc ex optimis libris nondum erutis agendum mihi proposuerim; in qua parte neque anxie eos tantum locos respexi quos aliter restituendos pro certo putavi neque etiam meros errores adhuc non exscriptos enumerare e re duxi. contra ubi codicis Pithoeani auctoritate sive lectionibus 'vulgatis' sive coniecturis aliquid adiumenti accrescere vidi quid traditum sit amplius latere non passus sum subiecta ubique uti par erat Iahnii editione maiore ex qua sola de memoria universa iudicium capere potes.

De quaestionibus orthographicis.

Ac primum quidem ex quaestionibus ad orthographiam spectantibus perstringam miram Iahni rationem, quam scrupu-

---

1) Haud paucis vero locis mihi usui erat *L. Kjaerii* liber de sermone Iuvenalis (Hauniae 1875). 2) Grato animo commemorem *Francisci Buecheleri* liberalitatem qui non modo delectum propositum accurate examinavit verum etiam non nullis locis quae ad singulas lectiones stabiliendas usui erant benigne mecum communicavit.

De consonis mediis male restitutis.

lose secutus haud paucis locis consonas 'tenues' 'mediis' posthabuit, veluti plerumque typis imprimi iussit *adque* pro *atque*, *scribtus* (I 6) alia. qua in re si quis exemplar archetypum effingere et restituere voluerit, tolerabimus fortasse hoc studium idque in causa fuisse videtur, cur Mayor in novissima quoque editione non ab his lectionibus recessit, quas Iahn in altera editione iam respuerat; neque tamen ex librorum memoria hae rationes habent quo fulciantur cum Iahnii nota ad vs. I 65 '*adque* P semper *atque* p' falsissima sit ipsisque locis quibus Iahn *atque* servavit infringatur. codex Pithoei vero paucis locis exceptis semper *atque* exhibet, lectioni '*scribtus*' (I 6) nullam auctoritatem inesse lemmate edocemur recte *scriptus* exhibente neque aliter res se habet vs. VI 266 ubi Iahn '*sumserit*' scripsit, P vero et A recte praebent *sumpserit* (cf. III 80, IV 30, XIV 76, XVI 40).

De littera nasali intrudenda vel eicienda.

Obiter tangam nonnullos locos quibus de littera nasali intrudenda vel eicienda Iahn dubitavit. atque I 222 quidem ubi cod. Pithoeanus *praegnas* exhibet, *n* supra scriptum primae an alteri manui debeatur parum liquet; II 55 *praegnantem* sine dubio a prima manu profectum est, contra VI 405 formam *praegnatem* servavit (cf. Verg. Aen. VII 320, X 704 ed. Ribb. Horat. III 27 2 ed. Kell.). — VI 156 *adamans* in P legi iam Iahnio notum erat, eadem forma servatur etiam in A, non recte spreta ea ab editoribus omnibus; cf. quae docet Buecheler mus. Rh. XXVII 475 '*factum est aliquotiens ut graecorum nominum formas a Graecis ipsis antiquatas quod suo ori convenirent servarent Romani velut Atlans Athamans Acragans nominativos. qua ratione formossus formonsus latine item νῆσσος νῆσος graece provenere .... Chersonensi legitur in nobili Plauti Silvani monumento* (vs. 750) *unde apparet Peloponensum similiaque quotiens in latinis libris reperiuntur totiens esse restituenda.*' quocirca ut XI 24 *Athlans* cum Pithoeano servem facile adducor, VI 462 quod de coniectura Iahn edidit *formonsus* eiusdem libri aperto consensu probatum recipere non dubito; denique VI 34 sq. *pungio* adhuc solo lemmatis testimonio probatum etiam in versibus bis legi attestari possum.

De formis 'volgus', 'voltus', sim. —

Volgi et *voltum* vetustiores formas restituit Iahn VII 85, XV 29; accedunt loci cod. Pithoeani auctoritate probati VIII 46, XV 24, 170 ubi *volgi*, *volgo*, *voltu* recte legas. *torvos Pluton* quod P praebet XIII 50 non sine consilio quodam poetam

dixisse facile credideris; alia causa est lectionis *Aegyptos* quam Iahn XV, 45, XV 116 ex Pith. restituit. idem praebet codex optimus satura incunte (vs. 2); eundem ducem in nominibus graecis sequi si voles scribe III 205 *Chiro*, VII 87 *Agavem*.

De forma 'Lugudunum'.

Alios locos ut per se quemque seorsim tractem ratio iussit; quorum primum afferam I 44 ubi *aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram* vulgata legebatur scriptura. verum post litteram *g* vocis Lugdunensem in codice Pithoeano rasuram conspici iam statuit Ruehl, ego oculorum acie intenta litteram *u* sub rasura latere agnovi. *Lugudunensem* quin hoc loco recte Iuvenali tribueretur mihi dubium non erat, collegi testimonia quibus forma ipsa metrique ratio probaretur, Boissieui potissimum libro (Inscriptions antiques de Lyon, Lyon, 1846/54) corpore inscriptionum latinarum, Zeussi grammatica celt., onomasticis, Wilmannsii adversariis, aliis inspectis. sed omnibus ex partibus copiis suis me vicit et profligavit vir singularis hercle atque admirabilis diligentiae taliumque rerum prae ceteris gnarus *Alfredus Holder* qui de hoc loco a me sententiam rogatus litteris pergratis datis amplissimam exemplorum ad nominis Lugudunum formam spectantium farraginem mihi misit; quae cum rem plane absolvant hic iam apponantur viri amicissimi venia impetrata. sunt autem inter ea quae mihi scripsit haec:

'LVGVDVNI (Lyon) auf einer Silbermünze (a. 43—40 a. Chr.) Cohen, Descr. hist. des monnaies imp.[2] I 51, 4. Revue numism. 1883, 6. — *Lugudunum* Boissieu Inscr. de Lyon p. 31, 128, 139, 148. — *Luguduni consistentes* Boissieu p. 31 = Revue épigr. du midi de la France I n. 11. — *Lugudunum I et Rauricam* Mémoires de la Société royale des Antiquaires de France 18 (N. I. 8) p. 399. — CIRhen. 310 (aus Coeln) *Luguduni*. — CIRh. 1169 = Becker 153 (Zahlbach) *Lugud(uno)*. — Inscr. Helv. 221 Mommsen (Solothurn) IIIIII. *vir. Aug. Lugud.* — Froehner 1376 (London) LVGVDV. — Ephem. epigr. 5 p. 207. 398 n. 723 = Hermes 19, 8 *Lugu(dunum)* (aus Lambèse). — Orelli 4020 *Luguduni* (s. Boissieu p. 160, p. 398). — Or. 4244 = Gruter 428, 10 = Boissieu 389, 2 = Herzog 536: *Luguduni* (aus Lyon). — Orelli 5231 = Herzog 183 *col(onia). Copia. Claud(ia). Aug(usta). Lúgud(uni)* (aus Nimes). Orelli 4077 = Henzen 7007 = Boissieu p. 207. 209 *negotiatores vinarii Luguduni in Ranabis consistentes.* — Henzen 7254 = Boissieu p. 390 *negotiatores vinarii Luguduni con[sis]tentes.* CIL 2, 2805(?), CIL 2, 2912, CIL 6, 1450,

CIL 7, 1334; 1, 14; CIL 10, 6087: *Lugudunum*, CIL 5, 7213: *arcar(ius) Lugud(uni).* — *[III III vir Au]g(ustalis) honor(atus) [c(oloniae) . C(opiae) . C(laudiae) . Aug(ustae) Lu]guduni* (aus Lyon) Revue épigr. du midi de la France I n. 326. — Die Inschrift aus Montélimar bei Calvet *utri[cu-lariorum] Luguduni [consistentium]* ist unecht. Inschrift aus Vichy (Revue épigr. du midi de la France I nr. 109): *coh(ortis) XVII LugudúniensIs*, älter als saec. 3 ex. — Inschrift aus Lyon (unter Antoninus Pius) Revue épigr. du midi de la France I nr. 36 *[leg(ato) A]ug(usti) pr(o) pr(aetore) prov[inciae Lug]ud(unensis).* — Inschr. aus Lyon, Boissieu p. 236 = Revue épigr. du midi de la France t. I nr. 85: *procurátori provinciárum Lugudunénsis et Aquitanicae.* — Inschr. aus Die, Gruter 484, 2 = Orelli 3725 = Boissieu p. 166 n. 9 = Herzog 453: *adlecto . in curiam . Lugudunensium . nomine incolatus.* — Inschr. aus Marseille, Herzog 609: *provin(ciae) Lugudunens(is).* — Inschr. aus Lyon Boissieu p. 246 = Orelli 6929 = Herzog 673: *proc(uratori) provinc(iarum) Lugud(unensis) et Aquitanic(ae).* — Inschr. aus Lyon, unter Antoninus Pius, Revue épigr. du midi de la France t. I nr. 68: *proc(uratori) provinciar(um) Lugud(unensis) et Aquitanicae.* Inschr. aus Lyon, Boissieu p. 286 = Revue épigr. du midi de la France I 126: *[Lu]gudunenses.* Inschr. aus Lyon, Revue ép. d. m. d. l. Fr. I 327: *corporato . inter . fabros . tign(uarios) . Lugud(unenses).* Revue archéol. N. S. 26 (1873) p. 72 (aus der Zeit Vespasians): *Lugudunensis et Aquitanicae item Lactorae.* — Inschr. aus dem Saône-Bette (zu Lyon) Revue arch. 14 (1858) p. 762: *(ex tribu) Quirin(a) leg(ato) Aug(usti) . pr(o) . pr(aetore) [provinciae Lug]ud(unensis) cos(uli) [tres provinciae] Galliae.* — CIL 2, 3235 *tabularius provinciae Lugudunensis et Aquitanicae.* Wilmanns Exempl. 1293 (unter Severus Alexander) *prov. Lugud. et Aquit.* CIL 3, 5832 *Lugudunensi(s).* CIL 6, 1626 *proc(uratori) Aug(usti) provinc(iarum) duarum Lugud(unensis) et Aquitanicae.* Boissieu p. 31 (anni 190) *Lugud(unensium).* CIL 6, 1400. 1526 *Lugudunenses. Lugudunensis* cf. *procurator* CIL 8 p. 1069. — CIL 8, 1258 = 10578. 9, 4453. 4678 *procurator provinciarum Lugudunensis et Aquitaniae.*

Seneca d. Claud. *ἀποκολοκ.* 6 p. 49 Buecheler: *Luguduni* (cod. S; lugduni V) zweimal (Lyon). — p. 50 *Lugudunenses* S, *lugdunenses* V von Buecheler eingeklammert. Iuvenal. sat. I 44 *aut Lugudunensem* (cod. Pith.) *rhetor dicturus ad aram* (Lyon).

Ptolemaeus II 9, 1 nennt das batavische Leyden *Λουγίδινον* (so mit *ΧΣΦΨ* Arg. zu schreiben; Mueller corrigiert *Λουγόδουνον*). — Cassius Dio 46 c. 50 *Λουγούδουνον μὲν ὀνομασθέν, νῦν δὲ Λούγδουνον καλούμενον* (Lyon). — Clitophon ap. Pseudo-Plutarchum *περὶ ποταμῶν* ed. Reiske X, 732 sq. *παράκειται αὐτῷ (Ἄραρι ποταμῷ) ὄρος, Λούγδουνος καλούμενον· μετωνομάσθη δὲ δι' αἰτίαν τοιαύτην. Μώμορος καὶ Ἀτεπόμαρος ὑπὸ Σεσηρονέως τῆς ἀρχῆς ἐκβληθέντες, εἰς τοῦτον κατὰ προσταγὴν τὸν λόφον πόλιν κτίσαι θέλοντες· τῶν δὲ θεμελίων ὀρυσσομένων αἰφνιδίως κόρακες ἐπιφανέντες καὶ διαπτερυξάμενοι τὰ πέριξ ἐπλήρωσαν τὰ δένδρα. Μώμορος δ' οἰωνοσκοπίας ἔμπειρος ὑπάρχων τὴν πόλιν Λούγδουνον προσηγόρευσεν· λοῦγον γὰρ τῇ σφῶν διαλέκτῳ τὸν κόρακα καλοῦσιν, δοῦνον δὲ τόπον* (so emendiert Zeuss Gramm. celt.[2] p. 52 statt *τὸν*) *ἐξέχοντα· καθὼς ἱστορεῖ Κλειτοφῶν ἐν ιγ' κτίσεων.* Vgl. das in Orange gefundene Medaillon von Terracotta mit der Darstellung des Genius von Lugudunum mit Scepter und Füllhorn, zu dessen Füssen ein Rabe (nicht Adler) auf einem Felsen sitzt, bei Froehner Les Musées de France pl. XV n. 2 und pag. 59 f und die Muenze vom Jahr 193 (des Albinus † 197) GEN(ius) LVG(udun.)COS. II bei Cohen III[2] p. 419 n. 40. Vielleicht waren diese Voegel eine Offenbarung des Gottes Lugus (u Stamm) des celtischen Mercurius (vgl. Ôthins Raben) Gen. Lugovas (irisch Lug. Gen. Loga) also LV̆GV̆-DV̆NŎN 'des Lugus Feste.' Dazu gehören vielleicht die Göttinnen Lugoves, Inscr. Helv. 161 Mommsen, (aus Avenches) ferner CIRh. 469 (Bonn) [Matribus do]mesticis [Lugo]vibus [com]edonib(us) Flavius [Apol]lodo[rus] et M. Aur[elius v.] s. l. m. = Hettner 58; ferner CIL 2, 2818: Lugovibus sacrum L. L(icinius) Vrcico . collegio . sutorum d(onum) d(at). Vgl. CIL 2, 2818 (aus Osma). Diese Etymologie ist von Arbois de Jubainville, „Etudes sur le droit celtique, Paris Larose" und Revue archéologique N. S. 35 (1878) p. 388 aufgestellt und scheint mir richtig. Der Name des Gottes Lugus ist noch erhalten in brittischen Ortsnamen Lugu-vallo (jetzt Carlisle) im Itinerarium Antonini p. 467, 2 (Luguovallo) 474, 1 (*lugovallis* R(iccardianus lugunatio Q) 476, 6 luguvalio (lugunalio Q luguvalio FGR luguvallis Wesseling) in der Notitia Dignit. Occ. XL 46* Luguvallium und im Geographus Ravennas 5, 31 p. 431, 8 Lagubalium. Vielleicht auch im Frauennamen *Lugu-selva*, in einer Inschrift von Périgueux (Revue

épigr. du midi de la France I n. 23; *D(is) M(anibus) . Iuli(ae) Luguselva[e] . uxoris.*

Ein celtischer Ortsname *Lugu-magus* (Feld des Lugus) liegt zu Grunde der im 7. Jh. gegründeten Abtei *Lug-mag*, jetzt Louth in Irland. Ein Neffe des hl. Patrick heisst *Luguaedon.* — In O'Donovan's ir. Gramm. p. LII findet sich eine Inschrift s. 5. p. Chr., auf einem Grabstein zu Inchaguile in Lough Corrib, abgedruckt: *lie Luguaedon macci Menueh* (= lapis Luguaedonis filii Menonis); könnte auch zu *lugu* = *ἐλαχύ* und *aedon* = *αἴθωνος* gehören. Ein Cognomen Luguadicus finde ich in CIL 2, 2732: Valerio Annoni . Luguadici f(ilio) Vx[am(ensi)].

Eine andere Etymologie ist uns überliefert in Endlichers Glossar (saec. 9) „de nominibus Gallicis" *Lugduno desiderato monte, dunum enim montem;* cf. Notae veteres ad Itinerarium Burdigalense, bei Du Cange; und Itineraria ed. Wesseling p. 617. Hier wäre 'mons desideratus' hypocoristisch für 'mons parvus' und würde zu Siegfrieds und Stokes Etymologie (Beiträge von Kuhn und Schleicher 3, 76) passen; celtisch lugu hiesse 'klein' = altirisch lau, lú lu' = griech. *ἐ-λαχύ/ς* = skr. laghús = lat. le(g)-vis = kirchenslavisch lĭgŭkŭ leicht, litau. lengvas (leicht, mild), gotisch leihts. *Lugudunum* wäre demnach *Kleinburg Luetzelburg.*

Hier wurden nur die Fälle wo Lugudunum ausdrücklich bezeugt ist ausgehoben. Ausser dieser Form kommen vor *Lugdunum*[1]), *Lucdunus, Lucduno, LVG., L', LD, LDV, Lugduni civitate, Lugduno, Leudunu, Lugdonum, Lugdone, Λουγδονοσίου, Λουγδονησίου, Lugdum, Lugduniis, Lugdunus, Λούγδουνος, Λούγδουνα, urbs Lugdūne tuum etc., Lucdunensis, Lugdunesis, Lugduniensis, Lugdunisis.* — *Lugdûnum* steht zunächst für *Lŭgŏdûnum,* und dies für *Lugudunum* (celtisch Lugu-dûno-n). -o- ist ausgefallen wie in *Cob-nertus, Cob-launus,* für *Cobo-* vgl. Mogit-marus fuer Mogiti-marus, Rotmarus statt Roto- oder Roti-mârus = Rŏtŏ-ma(g)-ro-s. Die Länge des u in dūnum ist etymologisch und traditionell (Apex V́ und Dichterstellen Juvenal, Ausonius, Sidonius Apollinaris, Venantius Fortunatus) über alle Zweifel sicher. Die Kürzen von lŭgŭ (ob nun Lŭgŭ/s oder = *ἐ-λαχύ-*) sind etymologisch nicht anfechtbar und durch Juvenalis bezeugt sowie das Fehlen des Apex in der Inschrift von Vichy.

[1]) Confer vero quae de forma *Lugdunum* monumentis minus saepe comprobata disputat Ritschl, Mus. Rh. IX, 447 ss.

Lectionum aliarum ex orthographia memorabilium delectus.

I 64 in P scriptum legitur *quadrivio* (*u*) ita ut *u* supra additum a prima manu profectum esse videatur, *i* erasum ab altera. veram lectionem littera supra addita prima manus (*a*) effecit etiam I 106 ubi *purpurae* legis; formam 'quadruvio' insolentiorem quidem sed testimoniis aliis probatam lectioni tritae cedere nolim. praeterea formas e re orthographica veriores invenis II 11 ubi P *bracchia,* XI 121 ubi idem exemplar *damma* praebet; deinde si tanti est VI 259 in A legi *haec* pleniorem formam commemoraverim, VIII 253 a P exhiberi *lauru;* minus recte scriptum est in eodem libro III 83 *bacca* VI 506 *cuturnis* (cf. Holder Horat. serm. I 5, 64), VII 46 pro anabathra (quod H. Valesius causa coniecturae non allata in *anabethra* mutare voluit) *anabitra.*

De locis singulis e re critica memorabilibus.

Ad graviora ut transeam ordine saturarum et versuum respecto subiectaque lectione a Iahnio in priore editione recepta locos quos mutandos aut saltem ad codices exigendos censui iamiam in medium proferre in animo est.

I 64 ss.

sat. I 64 ss. *cum iam sexta cervice feratur . . . .*
signator falso, qui se lautum atque beatum
exiguis tabulis et gemma fecerat uda?

sic Pithoeanum secuti scripserunt editores omnes praeter Ribbeckium qui sano ductus iudicio *fecerit* praetulit formam aliis iisque haud contemnendis testibus probatam. nam *fecerit* a librario codicis X e textu suo depromptum lemmaque praefixum esse codicum P et Sg consensus ostendit, accedit auctoritas librorum f V, testimonia codicum Servii, Vallae, Danielis, qui *fecerit* legerunt omnes. elegantius dici coniunctivum perfecti post *nonne libet implere* et *feratur* nemo non videt, melius etiam respondere sermoni Iuvenaliano docuit Kjaer l. c. 209 not.; iure igitur secedas a Pithoeano quem hoc quoque loco solito ut vidimus vitio laborare ex antecedentis et insequentis voculae sono coicias cum *gemma fecerat uda* scripserit librarius memoria lapsus. versibus statim sequentibus

I 69 sq.

I 69 sq. *occurrit matrona potens, quae molle Calenum*
porrectura viro miscet sitiente rubetam

verba vulgata criminis a matrona comissi rationem non satis ostendunt. possumus quidem miscere vinum, miscere venenum, sed si mulier marito vinum porrigit interea venenum miscet, non vino immiscet nihil inest periculi viro; contra

rectissime dicitur quod P S V lemmaque glossae Keilianae praebent *rubeta* qua pusilla mutatione facta verum demum colorem inducit imago. —

I 112 ss. I 112 ss. *quando quidem inter nos sanctissima divitiarum maiestas, etsi funesta pecunia templo*
nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

scripturam *habitas* etiam in P exstare ex Iahnii silentio concludas, verum in eo libro *s* rasura facta ab altera manu intrusum est; scriptum erat quod quidem ego video a prima manu habita+ (sic). quam memoriae condicionem enarasse satis habeo neque lectionem vulgatam temere abiciam, efficacem appellationem vix correctori tribuendam esse ratus. —

I 149 ss. I 149 ss. *omne in praecipiti vitium stetit, utere velis, totos pande sinus. dicas hic forsitan 'unde ingenium par materiae?' . . .*

dicas e correctura a p conscriptum esse notum erat, satis clare vero quid a prima manu profectum sit dispici potest. exaratum erat *dices*, idque recipiendum esse censuerim; cf. XII 125 *omnia soli forsan Pacuvio dabit*, VI 473 *facies dicetur an ulcus*, VIII 163 *defensor culpae dicet mihi.* de tempore futuro pro coniunctivo praesentis posito vide quae Hermann disputavit Vind. Iuv. p. 6. —

I 160 sq. I 160 sq. *cum veniet contra, digito compesce labellum. accusator erit, qui verbum dixerit 'hic est'*

verbum mera coniectura est; codex Pithoeanus enim praebet *versum* cum quo fere concinit quod fragmenta Vindobonensia habent *versu*, defendebatur etiam a Goebelio l. s. s. p. 16: *denn als Anklaeger (als Feind, der zu verfolgen waere) wird jeder angesehen werden der im Verse (versu) nur auf ihn hingewiesen haette, der in seinen Versen nur gesagt haette, selbst ohne ihn zu nennen nur gesagt haette: Hier ist (einer der —)* quam explicationem ut probarem a me impetrare nequivi; arridet vero *Hartelii* quam mecum communicavit coniectura *versus (abgewandt) = secum*; contra *Goebelii* verbis quae de versibus saturae alterius 4 sq. facit

II 4 sq. — — — *quamquam plena omnia gypso*
Chrysippi invenias nam perfectissimus horum est,

ubi Vindobonensis '*est*' omittit '*eine solche Auslassung der Copula namentlich in sententiösen Stellen ist nicht nur selbst*

in der Prosa häufig genug, sondern macht auch noch hier die Darstellung kräftiger, ist überhaupt echt juvenalianisch, z. B. II 8, III 183, IV 9, VII 145, IX 122, X 190, XIII 20' — ut fidem habeam eo libentius adducor, quod Pithoeanus quoque hoc loco *est* omittit.

II 30 sq. II 30 sq. . . . *qui tunc leges revocabat amaras*
omnibus atque ipsi Veneri Martique timendas

lectionem *ipsi* Iahn et in priore et in altera editione retinuit quamquam rectissime oblocutus est Hermann (praef. ed. p. XXI): *Ipsi Iahn cum Pith. quasi potiore Veneris conditione cuius par cum Marte locus est; nec quod verbo concedimus ut duo subiecta singulari numero antecedat attributo convenit.* atqui Pithoeanus id quod Hermann flagitat *ipsis* praebet, qua de causa *ipsi* est explodendum.

II 43 sq. II 43 sq. *quod si vexantur leges, at iure citari*
ante omnes debet Scantinia.

ad scripturam a Iahnio coniectura effectam accesserunt Hermann Ribbeck Weidner, restitit ei nuper docte et subtiliter Vahlen (ind. lect. aest. Berol. 1884, p. 21). coniecturae vero Iahnianae ut fundamentum subtraham scholiorum lemmata non *ac iure* sed eadem atque versus cod. P

actu recitari

praebent; quod si '*in der Gerichtsverhandlung vortragen*' vertere velis, deest simile exemplum, quo *actu* aeque atque '*in actu*' usurpatur[1]) parumque respondet *recitari* voci *vexantur* cui recte ex altera parte *citari* convenire omnes viderunt viri docti, licet non temere haeserint in lectione vulgata, quam qui defendit, Vahlen exemplo allato X 293 ss. *Sed vetat optari faciem Lucretia qualem Ipsa habuit, cuperet Rutilae Verginia gibbum accipere atque suam Rutilae dare*, hoc quem tractamus loco bene referri *iura* ad *ante omnes* et *Scantinia*

1) Cf. Forcellini-De Vit s. v.: *Actus rerum sunt negotia forensia Suet. Aug. 32. Ne quod maleficium negotiumve impunitate vel mora elaberetur, triginta amplius dies . . . . actui rerum accomodavit, h. e. iudiciis exercendis . . . Id. ibid. 23 Rerum actum coniunxit h. e. iudicia coniunctis mensibus feriis non interrupta fieri iussit. Adde Plin. epist. 9. 25 3 et Ulp. dig. 116 4 ubi actus absolute ponitur pro actu rerum. Huc pertinet quodammodo etiam locus Quinct. 10. 1. 31 ubi orationes dicit ad actum rei et ad pugnam i. e. ad causam in iudiciis agendam.*

non probabilius reddidit. denique Vogel, ut litteris a Woelfflino datis edoctus sum *ad iura citari* proposuit, collato illo XV 135 s. *pupillum ad iura vocantem Circumscriptorem*, sed quod de homine in ius vocato dici potest idem convenire in leges citatas nullo pacto concedam. locum nondum sanatum esse puto.

II 105 ss. II 105 ss. *summi constantia civis*
Bebriaci campo spolium adfectare Palati
et pressum in faciem digitis extendere panem

locus a Iahnio non satis accurate tractatus. recte quidem lemmatum lectionem *Bebriacis campis* esse adnotat, eadem vero, non *Bebriaci campo* legit etiam antiquus interpres (Σ); rectissime enim in scholio servatur quod P Sg praebent '*Bebriacos campos*' vocula velut dicit ait putat vel simili ut alibi haud raro omissa. male correxit Iahn '*Bebriacus campus*', male scripturam Σ eruit. verum cum etiam in P (ut dudum rettulit Ruehl) *Bebriacis campis* legatur, haec scriptura omnibus ex partibus firmatur quamquam insignis est adiectivi forma a Prisciano solo (II 43) praeterea usurpata. insequenti versu haud ita *pressum* cum *in faciem* coniungendum sed *extendere* ad substantivum referendum esse ideoque scripturam *in facie* commendari iam vidit Heinrich; *faciem* in P inveniri parum recte refertur, exhibet *facie///* spatio minore quam quod litterae *m* conveniret relicto. quid scriptum fuerit ostendit Vindobonensis, *faciet digitis* praebens littera dentali nescio qua causa geminata: ergo *in facie* germanam scripturam habeas.

II 133 sq. II 133 sq. '*officium cras*
primo sole mihi peragendum in valle Quirini'

Et P et S exhibere *in valle colle Quirini* supra ubi de variis lectionibus iam libro Y adpictis egi dictum est. maiore quidem probabilitate commendari videtur *valle*, quod vix a correctore profectum est; (cf. Ovid. Fast. IV, 375 ed. mai. Merk.; ibid. praef. p. CXXX).

II 149 ss. II 149 ss. *Esse aliquos manes et subterranea regna*
Cocytum et Stygio ranas in gurgite nigras
atque una transire vadum tot milia cumba
nec pueri credunt . .

Cocytum et Iahn edidit in utroque quod paravit Iuvenalis exemplo, secuti sunt Ribbeck Weidner una eaque satis tenui Liutprandi auctoritate nisi, qui antap. V 8 Auscarium haec

loquentem facit: '*Tune es qui contempto crucis et sanctorum iuramento . . . ad vulpem Sarlium transfuga et desertor abisti. Esse aliquos manes et subterranea regna in quibus periuria puniantur, Cocitum etiam et Stigio ranas in gurgite nigras qui usque modo somniasti, re ipsa mox experire.*' Liutprandum quidem saepius verba Iuvenaliana in usum suum convertisse manifestum est; sed licet melioribus quam nos habemus libris uti potuerit, locos ipsos satis licenter excerpsit: dimidia versuum expressa sunt antap. II 4. *Ignea: mox trepidant qui nigrum in candida vertunt* (Iuv. III 30). antap. III 44 *Respondes scio tu:* '*Nichil hoc Venus ebria curat*' (Iuv. VI 300), denique hist. Ott. 4 '*silicem pedibus quae conterunt atrum*' (Iuv. VI 350), reliqui loci fere omnes verba Iuvenalis indicant potius quam exprimunt: Antap. V 23 *Parta iam frigidior Coticis aqua decocta pruinis* (Iuv. V 50 *frigidior Geticis petitur decocta pruinis*), antap. V 32 *sponte maritali porrigeret ora capistro* (Iuv. V 32 *stulta maritali iam porrigit ora capistro*), leg. 35 *ut sunt Graeci per caput alterius semper iurare parati* (Iuv. VI 16. 17 *nondum Graecis iurare paratis Per caput alterius*), leg. 63 *divites aureis quibus plena luditur arca* (Iuv. I 90 *posita sed luditur arca*). accedit unus versus accuratius sed ne is quidem plene allatus leg. 3 *cui per mediam nolis occurrere noctem* (Iuv. V 54 *et cui* . . .). ex qua natura rerum huiusque scriptoris more citandi lectiones ab eo significatas fallax crisis adiumentum iure ducas, praesertim hunc quem tractamus locum scripturamque Cocytum si respexeris, quam Duebner rectissime a verbis ex Iuvenale allatis ita separandam esse censuit, ut textum hoc modo:

Esse aliquos manes et subterranea regna
in quibus periuri puniantur Cocitum etiam et
Stigio ranas in gurgite nigras

in editione sua adornaret, si omnino Liutprandus *Cocytum* scripsit et non *Contum*, cum codices antapodosis omnium praestantissimi Monacensis Bruxellensis alter *cocitum* correctum in *conitum*, alter *conitum* plene exscriptum habeat. — ad codices Iuvenalianos ut redeamus una huius loci lectio testibus optimis probata est *et pontum;* quod enim iam interpretem legisse *et contum* putaverunt ab hac opinione ita dissentio ut eam ipsam lectionem mero scholiastae errori originem debere credam, quem exempla ipsa ex aliis scriptoribus in

usum vocata male memoria tenuisse nullo loco melius demonstratur quam schol. ad VI 649 ubi Lucianus Mueller[1]) Verg. Aeneid. VI 42 *Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum* ab interprete significatum esse affirmavit; quam audacem coniecturam verissimam esse ipse cod. Pithoeanus ostendit qui iam propius ad verba Vergiliana accedens in scholio '*excisum veboice montis*' praebet. qua de re cave ne scholiastae verba corrigas potius quam emendes: legit ille *Et pontum*, comparavit '*ipse ratem ponto subiit . . . .*' ut in libris manu scriptis omnibus P Sg A invenimus. inspecto vero loco Vergiliano *contum* ab interpolatoribus translatum est. sed haec nos de loci memoria: alia causa est lectionis *et pontum* num ab omni parte sufficiat. id quidem mihi probabile videtur Iuvenalem si *et subterranea regna et contum* scripsisset '*dass es da unterirdische Reiche gebe und eine Stange*' ne intellectum quidem fuisse nisi ab homine amplis commentariis instructo, perverse etiam poeta quoniam navigationem iam tetigerat, Stygem ranas enumeraverat rursus verbis '*atque una transire vadum tot milia cumba*' ad illam rediret. optimorum vero testium A (P) S ⋜ lectionem *pontum*, cuius notionem late patuisse Vergilii 'maris pontus' arguit ut cum Pithoeo serves amnem inferorum 'Stygiam paludem' quam 'litora' claudunt dictum esse memineris a Vergilio, λίμνην ab Aristophane Ran. 181 quem locum omnino respexisse videtur saturarum scriptor.

III 18 sq. III 18 sq. *quanto praesentius esset*
numen aquae viridi si margine cluderet undas
herba . . .

P non *praesentius* sed tantum *praes* /// /// /// /// praebet litteris ultimis erasis. recte tamen *praesentius* restitui cum loci ratio tum cod. Vindobonensis ostendit, qui hoc loco unus omnium librorum correctura non infectus est. atqui verbis vulgo traditis alia subest interpolatio: exhibet enim Pith. *aquis* a prima manu conscriptum aptum illud fonti qui antro includitur; orta est mutatio ex voce *praestantius* qua intrusa dativus non habuit quo referretur.

III 77 sq. III 77 sq. *. . . omnia novit*
Graeculus esuriens, in caelum, iusseris, ibit.

[1]) Iahnii ann. LXXXXVIII 438.

hoc loco litterae primae manus post *caelum* in Pithoeano erasae sunt, conspicitur tantum /// /// ///*seris;* veram bonae recensionis scripturam solae schedae Arovienses servarunt *in caelum miseris, ibit* exhibentes.

III 131 sq. *divitis hic servi cludit latus ingenuorum* III 131 sq.
filius.

Pithoeanus: *divitis hic servo,* de qua lectione etiam a libro Vindobonensi exhibita Goebel. l. c. p. 39 recte protulit haec: *grammatisch kann man zwar ebensogut sagen claudere alicuius latus als claudere alicui latus . . . . sicherlich aber tritt ein weit kraeftigerer sarkastischerer Gedanke hervor bei der Lesart servo 'Der Sohn von Freigebornen laesst zu seiner Rechten den Sclaven des Reichen gehen'.*

III 155 sq. *et sedeant hic* III 155 sq.
lenonum pueri quocumque in fornice nati

hanc correctoris scripturam Iahn accepit, alii aliter locum tractaverunt, germana lectione cod. P nondum cognita quae facili negotio dispici potest. scriptum erat in P *ex fornice nati.* poterat quidem praepositio ex more Iuvenalis omitti (cf. VIII 259 *ancilla natus* XI 12 *rupto robore nati*) qua addita peculiarem colorem atque vim sententiae accrescere facile intellegimus.

III 210 sq. *. . . . ultimus autem* III 210 sq.
aerumnae est cumulus, quod nudum et frusta rogantem
nemo cibo, nemo hospitio tectoque iuvabit.

sic scripserunt editores omnes codicis Pithoeani auctoritatem secuti qui solus servavit *est* voculam in ceteris libris omissam. verum ni species me fefellit iam prima manus in libro pretiosissimo *est* expunxit; quod ut credam eo facilius adducor, cum causa erroris prona sit. compendio enim *ẽ* (= est) etiam in libris vetustis usitato in libro archetypo hic illic locum concessum fuisse supra commemoravi, librarius verbo *aerumnae* iam conscripto litterulam novissimam male repetiit indeque enatus est error. multo vero efficacius dici *ultimus autem aerumnae cumulus* verbo substantivo neglecto non est quod moneam.

III 257 ss. *nam si procubuit qui saxa Ligusti caportat* III 257 ss.
axis et eversum fudit super agmina montem,
quid superest de corporibus?

de corporibus lectionem codicum interpolatorum in omnibus editionibus vulgatam esse video, nemo vero, id quod miror scripturae ab optimo libro servatae *e corporibus* patronus exstitit; nam *superesse* et *de aliqua re* et *ex aliqua re* sermoni latino convenit cf. Caes. B. G. I 26, 5. neque inepte comparari potest quod Ovidius dixit Amor. III 9, 39 sq. *iacet, ecce, Tibullus: Vix manet e toto parva quod urna capit,* ibid. vs. 59 *Si tamen e nobis . . . restat.* — de verbi *superesse* usu Iuvenaliano aliquid certi proferri nequit, cum hoc ipso quem tractamus loco excepto *superest supersunt* sim. semper nude posita inveniantur nulla praepositione addita. quo magis lectionem optimi libri amplectamur necesse est quam si receperis nescio an ridicula loci vis apte augeatur.

III 321 sq. III 321 sq. *saturarum ego, ni pudet illas,*
adiutor gelidos veniam caligatus ad agros.

verbis '*adiutor caligatus*' quam vim subesse putaverint Markland Borghesi alii non ignoro. sed '*adiutor*' e re militari satis longe repetitus quid hoc loco sibi velit quidve omnino de '*adiutore saturarum*' statuendum sit plane me fugere profiteor. scripsit Iuvenalis quod non solum f v Vind. sed etiam Pithoeanus testis probatissimus praebet '*auditor*' quidque indicaverit poeta licet non pronuntiaverit apparet. caligatus enim auditor qui in gelidos agros amici causa proficiscitur est homo simplex rusticus nativo sensu nondum destitutus, opponitur auditorum coronae quali Romae utebantur 'vates' delicatae ei atque fucatae orationis blanditias captanti: *hic neque more probo videas nec voce serena Ingentes trepidare Titos cum carmina lumbum Intrant et tremulo scalpuntur ubi intima versu.* tali ex consessu poetam 'refici properaturum' facile sibi persuadet Umbricius ille, sed saturis nobilium corona quasi semper stipatis num caligatus auditor sufficere possit ambigit.

IV 8 sq. IV 8 ss. *nemo malus felix minime corruptor et idem*
incestus cum quo nuper vitiata iacebat
sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

sic Iahn in editione priore scripsit, lemmatum lectionem secutus. contra Hermann lectionem '*vittatam*' defendens vind. Iuv. p. 8 '*vitiatam puellam*' affirmavit '*iam totus loci tenor satis prodit nisi quod non iam vitiata erat quando cum corruptore cubabat, sed hoc demum concubitu vitiabatur; eiusdem autem stupri longe dirior species oculo proponitur si virginem ipsis*

sacerdotii insignibus indutam cum corruptore iacentem informamus' quod Hermanni iudicium Iahnio ita imposuit ut in altera editione ad lectionem *vittata* refugeret, respueret quod in bonis testibus servatum est omnibus. nam non solum lemmata S, cum quibus lectio Σ aperte concinit sed etiam Pithoeanus *vitiata* praebent, res igitur digna quae iterum in discrimen vocetur. vitiatam esse puellam ex toto loco prodire Hermanno concedo, efferatur autem necesse est ex more Iuvenaliano notio in qua criminis cardo vertitur monstrumque fuisse Crispinum revera evincitur, utqui auctor fuerit stupri famosi. nam ex verbis '*vitiata iacebat*' sacerdotem iam antea vitiatam fuisse elici qui putant obscoenam vim vocis *iacere* vel nude positae intendunt, quam idem fere valere atque verbum substantivum multi loci arguunt velut XV 6 legitur *Thebe centum portis obruta iacet* pro *Thebe . . . obruta est;* neque aliter ex verbis Iuvenalis *cum quo vitiata iacebat* nos audire puto sensum *a quo vitiata erat.* quod vero notione *vittata* diriorem facti speciem oculis proponi dicunt vereor ne ea lectione accepta species ineptior quam dirior proponatur, quippe cum eidem enuntiato poena criminis participio *subitura* adiuncta sit; cf. Goebelii verba l. c. p. 40: *Nur bedachte der Aenderer nicht, dass eine Vestalin 'sanguine adhuc vivo terram subitura' keine vittas mehr traegt.*

IV 97 *sed olim* IV 97.
prodigio par est cum nobilitate senectus.

cum Iahn proposuit Pithoeano post *est* rasuram ostendente, in qua corrector supplevit *in.* secuti sunt editores omnes, attamen ut presse adnotavi voci *cum* spatium rasurae vix duabus litterulis sufficiens non convenit. fortasse scriptum erat *inobilitate* et propterea correctura facta. verum de mendi ratione quomodocunque statuis *in nobilitate* serves oportet.

IV 148 *tamquam et diversis partibus orbis* IV 148.
anxia praecipiti venisset epistula pinna.

et ferri non posse recentiores editores omnes perspexerunt, proposuere *e, a, ec,* unum Weidneri *ex* rationibus palaeographicis optime respondere agnoscere licet ex tabulae adiectae linea 2 et 8.

V 169 *intactoque omnes et stricto pane tacetis.* V 169.

quod Lubini scribendum esse censuit *iacetis,* praebet cod. Pith.

VI 35 ss. VI 35 ss. *nonne putas melius, quod tecum pugio dormit,*
pugio qui noctu non litigat, exigit ex te
nulla iacens illic munuscula.

exigit /// /// te Pithoeani primam manum praebere, *exigit a te* p correxisse refert Iahn, ego de loco adnotavi haec. prima manus conscripsit *exigitate* et *igi* quidem in rasura sub qua *agi (exagitate)* latere probabile visum est, ex *gat* syllaba praecedente male repetitum. sed 'exagitare aliquem aliquid' (exagitat te) exemplis probari nequit; merus igitur ut dixi primae manus error subest, qua de re nihil mutandum in lectione *exigit a te* a ceteris testibus servata.

VI 116 ss. VI 116 ss. *dormire virum cum senserat uxor,*
ausa Palatino tegetem praeferre cubili,
sumere nocturnos meretrix augusta cucullos,
linquebat comite ancilla non amplius una,
et nigrum flavo crinem abscondente galero
intravit calidum veteri centone lupanar
et cellam vacuam adque suam.

multa insunt his versibus quae iustas dubitationes moveant, sed nos de uno versu centesimo undevicesimo, cuius in vocula prima *et* coniungente ea imperfectum *linquebat* et perfectum *intravit* difficultatis cardo vertitur. non tetigerunt locum editores recentissimi, verum talis temporum mutatio ut recte iudicat qui de sermone Iuvenaliano accurate inquisivit L. Kjaer (l. c. p. 149) nullo pacto ferri potest neque usquam alibi apud Iuvenalem invenitur. duo igitur narrationis membra nisi lacunam cuius indicium non adest statuere vis seiungenda sunt neque ubi gravius intercidas locus deest: enarrat poeta quae paraverit domina priusquam lupanar intravit eaque paucis referens nihil omittit quod iram nostram excitet atque indignationem: postquam virum somno oppressum sensit, turpe lupanar regiae praeferre ausa tegumenta induit, nocturnum iter ingreditur; cuius itineris cogitationem ut menti infigamus duabus rebus utitur scriptor: imperfecto *linquebat* (hoc loco insolentius usurpato cum neque ad *virum* ut Kjaer voluit neque ad *Palatinum* referri sed tantum intransitive '*sie machte sich davon*' verti possit) et *comite ancilla* quacum nocte vagari principis uxor non indignabatur.. nunc vero accuratius respiciamus quid voluerit poeta qui haud raro desultoria ut ita dicam arte usus legentes audire et intellegere vult, quae ipse

indicasse satis habet: omnia enim quae usque ad hunc locum enarravit crimen praeparant tantum atque praetexunt: summo nos studio quid subsequatur exspectamus; iamiam mulier augusta ad domum famosam appropinquat, extremo fortasse tempore sese recipiet, respuet locum foedissimum — sed intravit (*sie hat ihren Fuss gesetzt*) meretrix lupanar atque cellam 'suam' omnia flagitia committere parata.

Habemus igitur ubi apte insistat oratio; seiungamus apparatum facti a loco criminis ipso (nam verba *flavo crinem abscondente galero* nil aliud ostendunt, quam galerum tum demum cucullis abiectis conspicuum fuisse, dominam iam antea ne agnosceretur operam dedisse) respiciamus rationem quae inter duo cola intercedat, scribamus denique ne coniungantur quae nullo pacto coniungi possunt *sed . . . intravit* lectionem ab optimis libris traditam.

VI 238 sq. *Abditus interea latet et secretus adulter* VI 238 sq.
impatiensque morae pavet et praeputia ducit.

lectionem *pavet* a Iahnio receptam revera ad recensionem interpolatam pertinere aperte ostendit cod. P, in quo

. . . . morae silet' et . . . ' pavet

pavet ab altera manu in margine adscriptum legis neque esse videtur cur a lectione *silet* recedamus. pavisse adulterum 'abditum et secretum' ex totius loci condicione apertum fit; idem quodammodo etiam in lectionem 'silet' cadere iure obicias, sed eum silere debuisse quamvis morae impatientem cum addit poeta quod imagini ridiculum inest auget.

VI 247 sq. *vel quis non vidit vulnera pali?* VI 247 sq.
quem cavat adsiduis sudibus scutoque lacessit.

quod Lipsius flagitavit mil. Rom. V 14 *rudibus* praebet Pith.

VI 340 sq. *ubi velari pictura iubetur,* VI 340 sq.
quaecumque alterius sexus imitata figuram est.

hoc quoque loco lectionem optimi codicis P (firmatam schedarum Arg. consensu) retulisse satis habeo: praebet *imitata figuras.*

VI 381 sq. *densi radiant testudine tota* VI 381 sq.
sardonyches, crispo pulsantur pectine chordae.

pulsantur coniecturam Marklandi scholiorum lemmate PVLSANTI fultam Iahn in priore editione pro communi omnium librorum scriptura '*numerantur*' recepit, reiecit in altera Hermanni

auctoritati cedens qui recte Vind. Iuv. p. 9 ne docto artis vocabulo tritum et usitatum substituamus monuit, *pulsanti* ad explicationem potius quam ad lemma scholii pertinere suspicatus. quam lectionem cum Iahn etiam in minore editione ad lemma referat iam quomodo res se habeat nobis demonstrandum est. scholion enim in libro Sang. ita exhibetur: *SARDONYCHES CRISPO. crispo pulsanti, aeburno scilicet pectine* etqsq. ex quo facile colligitur *pulsanti* nequaquam ad lemma referendum, *numerantur* unam omnibus libris probatam lectionem esse.

VI 528 sq. VI 528 sq. *a Meroe portabit aquas, ut spargat in aedem Isidis.*

in *aedem* spargere quomodo quis possit difficile est intellectu nisi forte ante templum subsistens aquam infundat. verum servavit P qui clare *in aede* praebet neque aliud legit scholiasta '*ut in templo Isidis spargat*' interpretatus.

VI 548 sq. VI 548 sq.

implet et illa manum set parcius; aere minuto
qualiacumque voles Iudaei somnia vendunt.

lectio *implet et illa manum* profecto nihil habet quo offendamur, stupeas vero scriptura libri P *manu set* accuratius ponderata, in quo libro ex antiquo archetypo deducto litteram *m* numquam virgula supra scripta significatam esse supra affirmavimus. integram ut ego puto lectionem in scholii lemmate invenias, quod *manus,* non ut Iahn refert *manum* praebet. uterque numerus hoc loco ferri potest, cedas vero oportet testium optimorum auctoritati: haplographia enim ortum esse quod in cod. P legis *manu set* pro *manus set* apparet cf. VI 603 *lacu sa* . . . pro *lacus saepe.*

VI 605 ss. VI 605 ss. *stat Fortuna improba noctu*
adridens nudis infantibus hos fovet omnis
involvitque sinu.

omnis satis languidum ne dicam ineptum iure displicuit viris doctis quorum Dousaulx Ribbeck Weidner denique Iahn ipse in altera editione a Marklandi partibus steterint qui *ulnis* scribendum esse censuit: eandem coniecturam Heinrich quoque proposuerat (cf. eius adn. ad. l.) verum invento illo accepto ne verba *fovet involvit* arctiore voculae *-que* vinculo coniuncta distrahantur, tota imago male turbetur vereor; atque

ut iam rem absolvam cod. P non *omnis* praebet sed *omni,* in qua lectione nos acquiescere posse putaverim. utitur enim scriptor voce 'omnis' notione verbi 'totus' ut *omnis harena Tagi* dixit III 55, *omnis turba* VI 438, sim. neque *involvitque* offendere debet postpositum esse a poeta qui in nulla re magis eminet quam trito verborum ordine immutato.[1]) 'omni' quidem decies octies apud Iuvenalem legitur, exceptis vss. VIII 239 XI 174 XIII 24 XIV 2 ubique in fine versus. —

VII 23 *atque ideo crocea membrana tabella* VII 23.
impletur

lectionem *crocea-tabella* Iahn in utraque editione retinuit, recte autem ab Hermanno revocatum esse *croceae-tabellae* '*quia membrana ad tabellam, non haec ad illam pertinet*' non solum scholiorum scriptura nota '*tabellae*' sed etiam codex P qui idem exhibet, denique scholiastae verba ipsa '*membrana implentur, quae croceam tabellam habebant*' comprobant. errorem vero *crocea* (ex sonu insequentis vocis ortum) satis vetustum esse altera scholii explicatio postea adiecta ostendit, in qua ut *tabellae* quam formam pluralem esse arbitratur cum *crocea membrana* coniungat interpres male doctus laborat, cum prior explicatio rectissime ad veram scripturam redit. quod si nobiscum constitueris aliam quoque lectionem ut accuratius respiciamus antiquioris scholiastae verba ansam nobis dant, dico *implentur* fideliter a P et Σ servatum ab omnibus in *impletur* correctum. sed formam quoque membranum in usu fuisse cum ipsa scholiastae verba *membrana implentur quae — habebant* ostendunt, tum glossae Philoxeni Cyrilli *Ὑμὴν membranum Διφθέρα τὸ βιβλίον membranum codex, membrana διφθέρα σωμάτια* atque testimonia Isidori qui quamquam Persii versum III 10 *Iam liber, et positis bicolor membrana capillis* citat, unam formam membranum novit *haec membrana dicuntur, membrana sunt candida lutea purpurea* Origg. IX XI identidem repetens. quae testimonia saecula posteriora sapere si obicis, quod Apuleius usurpavit *membranulum* aperte ad 'membranum' redit qua forma accepta *implentur* recte serves loco Iuvenaliano.

VII 27 *frange miser calamos vigilataque proelia dele.* VII 27.

Pithoeanus praebet *calamum* . recte.

---

1) Cf. Kjaer l. c. p. 18—60.

VII 54. VII 54 *qui nihil expositum soleat deducere.*

hoc quoque loco non est cur a lectione cod. Pith. *nil* exhibentis recedamus.

VII 57 ss. VII 57 ss. *omnis acerbi*
impatiens, cupidus silvarum avidusque bibendis
fontibus Aonidum.

quod omnes libri praebent *aptusque bibendis* prae Iahnii mutatione *avidusque* scholiorum ut videbatur lemmate commendata abunde defenderunt Hermann (Vind. Iuv. p. 12) et Vahlen (l. c. p. 26). restat ut fundamentum quoque lectionis *avidusque* e libris petitum subtraham, scholion enim ad VII 58 in codicibus sic conscriptum legitur: *IMPATIENS CVP. havidus ut Oratius* etqsq. quo fit ut *avidus* nullo pacto ad lemma referri possit. —

VII 88 sq. VII 88 sq. *ille et militiae multis largitur honorem*
semenstri vatum digitos circumligat auro.

ut loco superiore ita hoc scholiorum lemmate male exscripto Iahnium deceptum esse obiter tangam. illud enim et libros interpolatos secutus scripsit *vatum digitos.* Pithoeanus vero praebet *semenstrigidos vastum* cum quo optime concinit lemma SEMEN S. V. recte igitur Iahn in altera editione ad positionem verborum optimo libro indicatam rediit (cf. Vahleni disputationem cui inscriptum est *Juvenal und Paris act. acad. Berol. a. 1883 p. 2*).

VII 98 sq. VII 98 sq. *Vester porro labor fecundior historiarum*
scriptores petit hic plus temporis atque olei plus.

P et A *perit,* rectissime. iocatur poeta de historiarum scriptoribus in passivum vertens quod in omnium ore est, de rebus inutilibus 'perdere oleum et operam'.

VII 159 ss. VII 159 ss. *culpa docentis*
scilicet arguitur quod laeva parte mamillae
nil salit Arcadico iuveni . . .

leve quod legitur in Pithoeano non errori librarii huius cod. originem debere sed iam in cod. X exstitisse consensus docet schedarum Aroviensium ex eodem fonte deductarum. trita vero lectione accepta 'mamillam' hoc loco significare iubemus 'pectus', quod si hac voce intellectum vult pluralem ponit poeta (VI 401, 491 ne his quidem locis propria notione neglecta) cum singulari unum μαζόν declaret qua notione

statuta demum comica versus XIII 163 vis elucet; neque aliam significationem subesse loco XII 74 facile concedas. quo sermonis usu observato in lectione tradita *laevae* acquiescere licet, possis supplere *laevae a parte* synicesi non duriori quam versu XIV 90, aliis statuta. bene autem ut libris praestantissimis ab omni parte sufficiamus se habet ablativus ex more Iuvenaliano nude positus velut XIII 186 *lectis diversa parte tabellis,* denique ubi *parte* paene in adverbium temporis abiit XI 71 sq. *et servatae Parte anni quales fuerant in vitibus uvae.*

VIII 76 ss. VIII 76 ss. *miserum est aliorum incumbere famae,*
ne conlapsa ruant subductis tecta columnis.
stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.

ad vocem *desiderat* signo addito a prima ni fallor manu *descinderet* in margine adscriptum est quod per se ferri nequit, verum fortasse viam munit ad lectionem haud improbabilem capessendam. subesse enim puto corruptae voci *descinderet desideret,* quo aptissime altera imago priori adnectitur, cum imagines illae arte cohaerentes distrahantur indicativo, pendeat etiam tota sententia altera.

VIII 108 ss. VIII 108 ss.
Nunc sociis iuga pauca boum, grex parvus equarum
et pater armenti capto eripiatur agello,
ipsi deinde lares, si quod spectabile signum.

numerum singularem *eripiatur* ubi verbum subiectis postponitur nullo modo ferri posse unum Kjaerium[1]) vidisse miror, quod vero post boum gravius interpungit (;) et *capto agello* dativum esse statuit nescio an rem impeditam magis etiam illaqueet. viam autem emendatioris liber Pithoeanus ipse indicat qui quidem a prima manu *eripi* /// /// /// rasura 3—4 litterarum facta praebet in quam corrector *ietur* intrusit; pluralis enim quid post 'pater armenti' sibi vellet non intellexit vir male doctus, *eripientur* igitur, non *eripiantur* scribendum censeo collatis versibus VII 94 sq. *quis nunc tibi Maecenas quis nunc erit aut Proculeius aut Fabius . . . .*

VIII 121 ss. VIII 121 ss. *curandum imprimis ne magna iniuria fiat*
fortibus et miseris. tollas licet omne quod usquam est
auri adque argenti scutum gladiumque relinques.

hoc vaticinium interpretes varie commentati sunt, alii poe-

1) l. c. p. 193.

tam voluisse dicentes ut arma victis auferantur, alii contraria ponentes. mihi equidem loci condicionem iterum iterumque mecum volutanti vel maxime probabile visum est huic loco eandem subesse sententiam atque divino carmini nostro '*Der Gott der Eisen wachsen liess der wollte keine Knechte.*' hortatur poeta ne iniuriis magnis illatis diram ultionem provocent Romani, qui quamvis omne aurum atque argentum devexerint arma demere non possint, fortibus relinquant. qua ratione commendari et *relinques* et *relinquas* perspicuum est praeferam hanc lectionem et a S et a Pithoeano servatam, cum modus potentialis bene animo poetae commoto anxioque conveniat, apte etiam traducat ad versum 124 ab omnibus recentioribus obelo notatum, qui quidem deesse potest, summam vero moniti iamiam gravius expressi non inepte in fine collocatam exhibet.

VIII 162 VIII 162 *et cum venali Cyane succincta lagona.*

Pithoeanus clare praebet *Cyanis.* cf. CIA IV 7379 *Αἴνω Κ[υ]ανίς Κόραξ κτλ.*

IX 40 IX 40 *computat ac ceu et.*

ac et in P et in S inveniri Iahn refert, exstat vero in neutro teste cum Pithoeanus a prima manu *cum putat* /// /// /// /// conscriptum praebeat (in rasura altera manus *atq, cavet* supplevit) in scholio vero *CVMPVTAT fiat computatio CEVET crisat* legatur. ex his testimoniis quoniam quid bona recensio exhibuerit concludere nequimus refugiamus necesse est ad libros g h *et* praebentes.

X 21 X 21 *et motae ad lunam trepidabis harundinis umbras,*

nil impedire videtur quo minus cum Pithoeano scribamus *umbram* 'einen Schatten'.

X 189 X 189 *hoc recto vultu, solum hoc et pallidus optas.*

de huius versus scriptura qualem P exhibet iam supra dictum est (pag. 44) legimus enim in libro optimo *alto recto vultu* neque utra vox pro interpolamento habenda sit dubium esse potest cum quod VI 401 legimus *recta facie* comparari nequeat, ubi *recta* '*ruhig unverwandt*' vertere debemus, laetam vero mentem opponi voci '*pallidus*' loci condicio flagitat cui recte respondet 'altus vultus'; iisdem verbis sensu quidem paululum ab hoc loco recedente Horatius usus est Od. IV 9, 42 sq. *Reicit alto dona nocentium vultu* etqsq.

X 344 *quidquid levius meliusque putaris.* X 344.

sic Iahn edidit invitis libris omnibus, cum P *quidquid leviusque,* ceteri *quidquid melius leviusque* exhibeant; erasit p *que,* addidit *meliusque* in margine ita ut Iahn, quoniam *leviusque* in P recte se habet interpolatae non integrae recensionis vindex exstiterit. nimirum aberravit primus librarius libri Pith. a *melius* ad *leviusque,* priorem voculam se iam scripsisse ratus.

XI 90 sq. XI 90 sq.

cum tremerent autem Fabios durumque Catonem
et Scauros et Fabricios . . . .

quod concinnitatis gratia exspectas respondere plurali *Fabios* et singulari *Catonem* ex altera parte in versu sequenti *Scauros* et *Fabricium* efficitur scriptura libri Pithoeani revera *Fabricium* exhibentis.

XII 72 ss. *conspicitur sublimis apex cui candida nomen* XII 72 ss.
scrofa dedit laetis Phrygibus mirabile sumen
et numquam visis triginta clara mamillis.

Iam antiquitus duas huius loci circumlatas esse lectiones ex scholiastae verbis colligitur: '*aut mirabile quia triginta fetus habuit aut miserabile quod miseratum sit Frigibus*'. — atque pro lectione *mirabile* locus Vergilianus facere videtur (Aen. VIII 81) *ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum,* tamen num haec vox revera loco Iuvenaliano germana sit admodum dubitaverim, quoniam P non ut Iahn refert *mirabile,* sed *miserabile* exhibet; neque etiam Vergilii versum apte ad lectionem illam firmandam in auxilium vocari concedam, cum eandem materiam longe alia ratione uterque poeta tractaverit, Vergilius quidem summa reverentia imbutus, Iuvenalis risum suum atque rei contemptum aperte prodens. nulla re magis igitur loci Iuvenaliani acumen augeri puto quam *miserabile* voci *laetis* oppositum, ut in altero colo '*clara*' verbis '*numquam visis*' acerbe respondet.

XIV 121 sq. *iuvenes hortatur ut illam* XIV 121 sq.
ire viam pergant . . . .

Pithoeanus *illa-via* optime.

XV 103 ss. *quisnam hominum veniam dare quisve deorum* XV 103 ss.
ventribus abnueret dira atque immania passis,
et quibus illorum poterant ignoscere manes,
quorum corporibus vescebantur?

viribus quod vs. 104 P praebere Iahn adnotat sine dubio ab altera manu profectum est, prima manus ni omnia me fallunt *urbibus* exaravit, quae lectio etiam servetur necesse est. nam quo quaeso pacto poeta dicere potest, homines dii manes ignoscunt ventribus, quam monstrosam lectionem H. Valesio debemus. ineptissima esset imago si per iocum eam posuisset scriptor, sed factum quoddam ab eo significari loci tenor et versus docent 93 sq. 108 sq.

Haec fere fuerunt, de quibus certi aliquid me proferre posse putavi, ceteros locos et quaestiones ut nunc quidem missa facerem alia officia studiorumque ratio suasere. sed iuvabit fortasse eos locos sub uno conspectu congestos exhibuisse quibus codicis Pithoeani auctoritate lectiones vel etiam coniecturae a Iahnio receptae firmantur: ut hac quidem ex parte solidiore crisis fundamento utaris. praebet igitur P:

I 21 *si vacat* I 52 *Heracleas* I 71 *Lucusta* I 169 *haec animo ante tubas* II 7 *Cleanthas* II 30 *revocabat* II 68 *Fabulla* II 159 *illic* III 58 *nunc* III 168 *necabis* III 215 *accurrit* III 262 *unctis* III 304 *catenata* V 38 *berullo* V 145 *at* (*ad* receptum a Iahnio [2]) VI 25 *et* VI 29 *quibus* VI 63 *Ledam* VI 66 *Thym^e^le* VI 104 *En pia* VI 329 *si iam dormit* VI 491 *psecas* VII 69 *Vergilio* VII 130 *Tongilii* VII 232 *ut forte* VIII 100 *acervos* VIII 105 ////*umque* (scriptum erat sine dubio *robumque*) VIII 157 *Eponam, facie solida* IX 9 *certae* IX 53 *tractat* IX 143 *locatam* X 73 *matellae* X 74 *Nortia* X 365 *habes* XI 58 *si* XI 157 *vellendas* XI 161 *patriatque* XII 110 *belli et* (cf. R. Weise Vindiciae Iuvenalianae diss. inaug. 1884 p. 63 et thesin 2).

I. Conspectus codicum et notarum.

(cf. pag. 50 sq.)

Libros asterisco (*) insignitos denuo contuli aut inspexi.

*P codicis Pithoeani manus prima. p eiusdem codicis manus altera p. 9—24.

*A fragmenta Aroviensia p. 24—33.

*Sg codex Sangallensis 870 scholia antiqua continens p. 33 sq.
S scholiorum lectiones ipsis litteris expressae.
ϵ scholiorum lectiones ex interpretationibus captae.

*Vind. codex Vindobonensis CXI (107) p. 34 sq.

r codicis Vaticani palimpsesti fragmenta p. 36.

a cod. Laurentianus plut. XXXIV, 42.

*b codex Sangallensis 871.

*c codex Einsiedlensis 34.

*d codex Parisinus 8070 p. 12, 36.

*e — — 4883 A p. 12.

*f — — 8071 p. 37.

*g — — 7900 p. 37.

h cod. bibl. Vat. Urb. 661.

accedunt:

* Glossae e cod. Parisino 7730 ab H. Keilio editae p. 35.

* Florilegium Sangallense (in cod. Sg) p. 35 not. 3.

* Exemplar Danielis Bernense p. 35 sq.

* codex Parisinus 8072 p. 37.

* fragmentum Parisinum nondum cognitum (Nouv. acq. 2199) p. 37 sq.

deinde

codd. *Monacensis 408, *Vindobonensis 277, *Bernensis 189, *Parisini 11320 et 9345, *Stuttgartiensis Poet. Q. 11 (cf. 12 not.), Seviliensis 5,5 (cf. addend.) vitas poetae exhibentes.

denique

* Sangallensis 871, *Vindobonenses 277, 131, 3114, *Monacensis 73 (p. 21 not., p. 22) scholiis recentioribus instructi.

Librorum deperditorum mentionem feci p. 49.

II. Index locorum memorabilium.

Index subiectus quo magis legentium usui inserviret, congesti sunt loci omnes, de quorum scripturis collationibus denuo institutis plenius rectiusque cognoscere licuit.

pag.

Anthol. lat. c. 679 10
Iuven. Sat. I 6 54
— 7 14
— 21 76
— 22 13
— 25 15
— 27 13
— 28 14
— 38 43
— 40 16
— 52 76
— 53 . . . . . 34, 35
— 63 15
— 64 . . 35, 59 (bis)
— 68 36
— 69 59
— 71 76
— 85 34
— 89 14
— 90 16
— 106 59
— 112 ss. 60
— 122 54
— 147 15
— 149, 149 ss. . . . 15, 60
— 155 . . . . 14, 36
— 157 . . . . 14, 36
— 159 16
— 160 sq. 60
— 161 35
— 166 36
— 169 76
— 170 . . . . 35, 36

pag

Iuven. Sat. I 171 14
Iuven. Sat. II 1 36
— 4 sq. 60
— 5 35
— 6 35
— 7 76
— 10 16
— 11 59
— 16 . . . . 34, 36
— 17 35
— 24 16
— 29 36
— 30, 30 sq. 36, 60 sq., 76
— 43 sq. 61
— 46 36
— 55 54
— 68 . . . . 36, 76
— 80 36
— 85 14
— 90 36
— 92 . . . . 36, 40
— 102 15
— 105 ss. 62
— 107 . . . . 35, 36
— 115 . . . . 24, 25
— 124 . . . . 14, 35
— 133 sq. 62
— 136 36
— 138 44
— 148 . . . . 27, 28
— 149 62
— 150 27
— 152 28

pag.

Iuven. Sat. II 159 . . . . 36, 76
— 165 35
Iuven. Sat. III 5 36
— 11 36
— 14 15
— 16 35
— 18, 18 sq. . . . 35, 64
— 20 14
— 31 36
— 36 26
— 37 . . . . 27, 28
— 38 . . . . 26, 27
— 39 26
— 40 . . . . 26, 27
— 47 . . . . 26, 27
— 50 26
— 51 27
— 53 27
— 55 27
— 58 76
— 60 26
— 63 27
— 64 28
— 65 28
— 66 28
— 69 . . . . 15, 27
— 71 28
— 74 28
— 76 28
— 77, 77 sq. . . . 27, 64
— 78 28
— 79 35
— 80 27
— 83 59
— 88 27
— 89 28
— 90 27
— 91 28
— 93 36
— 100 36
— 126 36
— 131, 131 sq. . . . 35, 65
— 138 34
— 141 . . . . 35, 36
— 155 sq. 65
— 158 36
— 168 . . . . 14, 76
— 171 15
— 199 14

pag.

Iuven. Sat. III 210 sq. 65
— 214 34
— 215 76
— 226 15
— 255 36
— 257 ss. 65
— 262 . . . . 36, 76
— 283 36
— 288 36
— 302 . . . . 14, 36
— 304 . 14, 34, 43, 76
— 314 36
— 319 14
— 320 34
— 321 sq. 66
— 322 35
Iuven. Sat. IV 2 34
— 7 14
— 8 ss. 66
— 41 34
— 43 . . . . 34, 43
— 51 35
— 55 35
— 93 43
— 95 14
— 97 67
— 106 34
— 111 15
— 123 38
— 138 34
— 148 sq. 67
Iuven. Sat. V 38 35
— 39 76
— 45 34
— 75 15
— 88 34
— 112 14
— 118 15
— 145 76
— 158 43
— 169 67
Iuven. Sat. VI 8 15
— 9 34
— 25 76
— 29 . . . . 34, 76
— 34 54
— 35 68
— 39 76
— 40 14

		pag.
Iuven. Sat. VI	63	76
—	66	76
—	64	14
—	89	28
—	91	28
—	104	76
—	116 ss.	68
—	126	34
—	136	27
—	142	11
—	143	28
—	147	14, 27 (bis)
—	152	28
—	156	54
—	158	27, 34
—	159	14, 27
—	169	28
—	219	151
—	238 sq.	69
—	247 sq.	69
—	256	27
—	259	59
—	263	27
—	266	514
—	277	27
—	278	27
—	281	27
—	306	14 (ter)
—	320	14
—	329	76
—	339	27
—	349 sq.	69
—	340 sq.	69
—	341	27
—	354	14, 15
—	379	27
—	381 sq.	69
—	395	16
—	405	54
—	416	16
—	431	27
—	436	34
—	462	54
—	491	76
—	506	59
—	510	14
—	518	34
—	527	34
—	528 sq.	70

		pag.
Iuven. Sat. VI	548 sq.	70
—	556	cf. add.
—	576	14
—	579	16
—	605 ss.	71
—	622	16
—	623	16
Iuven. Sat. VII	20	34
—	23	41, 71
—	27	71
—	37	15
—	45	34
—	46	59
—	54	15, 72
—	57	72
—	64	27
—	66	27
—	69	27, 76
—	79	30 not.
—	85	54
—	89, 89 sq.	27, 72
—	90	28
—	92	27
—	93	14 (bis), 27
—	98	72
—	109	27
—	115	27
—	127	14
—	128	27
—	130	76
—	134	27
—	136	27
—	145	27
—	163	14
—	165	27
—	169 ss.	72
—	180	14
—	210	34
—	232	76
—	234	15
Iuven. Sat. VIII	16	15
—	46	54
—	76 ss.	73
—	80	14, 16
—	100	76
—	105	76
—	109 ss.	75
—	121 ss.	73
—	122	14

		pag.
Iuven. Sat. VIII	145	14
—	155	35
—	157	76 (bis)
—	162	74
—	181	16
—	253	59
—	259	15
Iuven. Sat. X	9	76
—	24	14
—	40	74
—	53	76
—	139	34
—	142	34
—	143	76
Iuven. Sat. X	21	33, 74
—	62	14
—	64	35 not.
—	73	76
—	74	76
—	121	44
—	144	14
—	189	44, 74
—	193	14
—	247	14
—	266	15
—	344	75
—	351	14
—	365	76
Iuven. Sat. XI	24	54
—	28	15
—	41	15
—	58	76
—	63	15
—	68	15
—	85	15
—	86	14
—	90 sq.	75
—	142	34
—	157	76
—	161	76
—	208	43
Iuven. Sat. XII	67	34
—	72	75
—	75	34
—	41	15
—	50	54
—	52	34
—	86	34
—	110	76

		pag.
Iuven. Sat. XIII	41	15
—	50	54
—	52	34
—	86	34
—	110	76
—	155	16
—	191	14
Iuven. Sat. XIV	18	16
—	40	15
—	59	16
—	68	16
—	127	75
—	311	14
—	320	16
Iuven. Sat. XV	22	14
—	24	54
—	29	54
—	65	14
—	103 ss.	75
—	112	14, 43
—	126	16
—	138	14
—	163	16
—	170	54
—	174	15
Iuven. Sat. XVI	53	16
Schol. in Iuv. I	1—26	21
—	20	22
—	II 105	62
—	VI 1	20
—	15	20
—	23	20
—	381	70
—	649	64
Iuvenalis vita I		11 not. 2
Liutprandi antap. V	8	62 sq.
Persius; spicilegium collationis cod. Pith. ad sat. I—VI		18 sq.
Pers. Sat. I	17	13
—	113	13
—	122	15
Pers. Sat. II	26	15
—	55	16
—	68	16
Pers. Sat. III	15	13
—	21	16
—	28	13
—	60	16
Pers. Sat. IV	25	15

	pag.
Pers. Sat. IV 49	15
— 50	15
Pers. Sat. V 11	16
— 17	16
— 23	15
— 42	16
Pers. Sat. V 106	13
— 112	15
— 150	13
Pers. Sat. VI 16	16
Schol. ad Pers. III 79 sq.	20

Addenda.

Ad pag. 12 not. Praeter codices enumeratos librosque nonnullos bybliothecarum Italicarum vita Iuvenalis, ut per Guilelmum Hartel magistrum carissimum certior fio, etiam invenitur libro Seviliensi 5, 5, 2.

Ad pag. 59 (Quaest. orthogr.). *Clytemestram* (VI 556), forma in P servata editoribus omnibus excepto uno Ribbeckio displicuit; verumtamen verissima est, cf. *Fleckeisen Fünfzig Artikel* etc.; Ritschl opp. II 497; schol. in Iuv. I 6.



92

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES

This book is due on the date indicated below, or at the expiration of a definite period after the date of borrowing, as provided by the library rules or by special arrangement with the Librarian in charge.

DATE BORROWED	DATE DUE	DATE BORROWED	DATE DUE
	MAR 27 1952		

C28(251)100M

DUPLICATE

1010674888

87J97 EB

MAY 1 1952